

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum
Theoretico-Practica**

Mencke, Lüder

Lipsiae, MDCCXXXV

VD18 11839880

Lib. I. Institutionum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18253

LIB. I.
 INSTITUTIONUM.

TIT. I.

*De Justitia & Jure.**Definitio Justitiæ.*

Suntum
ex Ulp. l.
10. ff. h. t. **J**ustitia est constans & perpetua voluntas jus su-
 um cuique tribuendi.

Definitio Jurisprudentiæ.

1. Jurisprudentia est divinarum atque humana-
 rum rerum notitia, justii atque injusti scientia.

De Juris methodo.

2. His igitur generaliter cognitis, & incipienti-
 bus nobis exponere; Jura populi Romani, ita vi-
 dentur posse tradi commodissime, si primo levi
 ac simplici via, post deinde diligentissima atque
 exactissima interpretatione singula tradantur. Alio-
 quin, si statim ab initio rudem adhuc & infirmum
 animum studiosi, multitudine aut varietate rerum
 onaverimus, duorum alterum, aut desertorem
 studiorum efficiemus, aut cum magno labore, sæ-
 pe etiam cum *diffidentia*, quæ plerumque juvenes
 avertit, serius ad id perducemus, ad quod levio-
 re via ductus sine magno labore, & sine ulla *diffiden-*
tia, maturius perducere potuisset.

Juris præcepta.

3. Juris præcepta sunt hæc: 1.) honeste vivere,
 2.) alterum non lædere, 3.) suum cuique tribuere.

Divisio Juris in publicum & privatum.

Ex Ulp.
l. 1. §. 2.
ff. cod.

4. Hujus studii duæ sunt positiones, publicum
 & privatum. *Publicum Jus* est, quod ad statum
 rei

rei Romanæ spectat. *Privatum*, quod ad singulorum utilitatem. Dicendum est igitur de *Jure privato*, quod tripertitum est: collectum est enim 1.) ex naturalibus præceptis, 2.) aut gentium, 3.) aut civilibus.

I.

HOc Tit. agitur de *Justitia & Jure.* *Justitia* est *constans* atque perpetua *voluntas* (i. e. habitus moralis) *jus suum* cuique tribuendi. *Pr. J. b.* Hæc dividitur vulgo in *Universalem*, *Pr. I. h.* eaque exercitium omnium virtutum comprehendit, & *Particularem*, quæ de *bonis externis* suum cuique tribuit. Estque vel *Distributiva*, & distribuit *Res Communes* Civitatis secundum *Proportionem Geometricam* s. *comparatam æqualitatem*, personarumque qualitatem, *l. 14. §. 3. ff. d. mun. & bon.* vel *Communitativa*, & versatur circa *Res singulorum* commutandas, observata *Proportione Arithmetica* s. *simplici rerum æqualitate.* *a. l. 1. ff. de contr. emt.*

II. *Justitia* administratur mediante *Jurisprudencia*, quæ est rerum divinarum *v. §. 7. J. d. R. D. J. P. O. & M. art. 8. & art. 5. §. 48.* atque humanarum notitia, *justi* atque *injusti* scientia. *§. I. J. b.* sive *Prudentia Civilis*, *Jus §. I. h.* ad actiones, in *Civili Societate* obvenientes, applicandi. *a. l. 1. §. 1. ff. b.*

III. *Jurisprudencia* exercetur per *Interpretationem Doctrinalem*, qua a *Judice* vel *Jcto* sensus

sensus legis eruitur. L. 2. §. 13. ff. d. O. J. (a) Ea-
que est vel *simplex* s. *Declaratoria*, qua ex legum
verbis mens Legislatoris colligitur, d. l. vel *Re-*
strictiva, qua ob *Rationem Legis Specialem* ge-
neralia ejus verba restringuntur, l. 6. C. d. leg. L.
14. ff. cod. C. 28. d. R. J. 6. (b) vel *Extensiva*, qua
ob *Rationem Legis Generalem* specialia ejus
verba extenduntur. L. 13. ff. d. leg. (c) §. un. J. d.
legitim. Patron. tut. A qua differt *Interpretatio*
Authentica, qua ob Legis insignem obscureta-
tem fit *Legislatoris expressa taciteve* (hæc in-
terpretatio Usualis dici solet) declaratione. l. 9.
C. d. leg. j. l. 12. §. 1. ff. qui & a quib. manum. l. f.
C. d. leg. l. 37. ff. eod. fac. N. 162. c. 1. Instr. Pac.
Osn. & Mon. art. 8. §. gaudeant. Dec. El. 2. 4.

IV. *Jus* est Norma a superiore præscripta
inferiores ad obsequium obligans. a. l. f. §. 1.
C. d. leg. Jus tractatur Methodo primum sim-
pliciore, in Institutionibus, postea exactiore in
Digestis, ut desertio studiorum laborisque diffi-
cultas evitetur. §. II. J. b. Jurisperitiæ com-
parandæ servit, *Doctrina & Apprehensio* fide-
lis, conservandæ autem *Repetitio*.

(a) *Constare non potest Jus, nisi sit aliquis Jurisperitus,*
per quem possit quotidie in melius produci. l. 2. §. 13.
ff. d. O. J.

(b) *Quæ à Jure Communi exorbitant, nequaquam sunt*
ad consequentiam trabenda. C. 28. d. R. J. 6. L. 14.
ff. d. leg.

(c) *Quoties lege unum atque alterum introductum est,*
cætera, quæ tendunt ad eandem Utilitatem, interpre-
tatione supplenda sunt. L. 13. ff. d. leg.

V. *Juris*

V. *Juris tria sunt Præcepta*: 1.) *Honeste vivendum est.* §. III. *J. b.* Quod intendit *Jurisprudencia*, non tamen ejus violatores semper coërcet. *a. l. 144. ff. d. R. J. (d) j. l. 5. C. ad Sc. Orfic. l. 18. ff. d. pæn. (e)* 2.) *Alter non lædendus est.* §. III. *J. b.* Hoc determinat *Jus Civile*, *l. 2. C. d. rescind. vend.* simulque læsionem sui vetat, cum *charitas ordinata* incipiat a se ipso; *a. l. 6. C. de servit. & aqu.* unde *Αυτοχρησίων* fraudulosam merito sua manet animadversio. *a. l. f. §. 6. ff. de bon. eorum, qui ante sent.* 3.) *Suum cuique tribuendum.* *d. §. III. J. b.*

VI. *Jus* dividitur a fine in *Publicum & Privatum.* *Publicum* principaliter *ad Utilitatem Reipubl.* spectat. §. IV. *J. b. v. l. 45. §. 1. ff. d. R. J. (f)* Unde hoc in *Academiis* hodie recte docetur. *Cap. Leop. art. 2.* Est vel *Romanum*, a *Romanis* conditum, *v. lib. 10. 11. 12. Cod.* vel *Modernum*, in *Imperio Romano-Germanico*, Statibus *Imperii* in *Communione Majestatis* adscitis, conditum. Huc pertinent 1.) *Recessus Imperii* in specie sic dicti, quorum novissimus est de ann. 1654. *v. Edit. Nov. d. A. 1692.* 2.) *Aurea Bulla Caroli IV.* *d. A. 1356.* 3.) *Pax profana*, *d. A. 1495.* 4.) *Transactio Passaviensis*, *d. A. 1552.* confirmata *R. J. d. A. 1555. §. 13.*

(d) *Non omne, quod licet, honestum est.* *l. 144. ff. d. R. J.*

(e) *Cogitationis nudæ pœnam nemo patitur.* *l. 18. ff. de pæn.*

(f) *Privatorum Conventio Juri Publico non derogat.* *L. 45. §. 1. ff. d. R. J.*

seq.



seq. 5.) Capitulationes Imperatoriæ a Carolo V. ad Carolum VI. 6.) Instrumentum Pacis Osnabrugensis & Monasteriensis *d. A. 1648.* *Privatum*, quod Principaliter ad *Privatorum Utilitatem* pertinet. Hoc præcipue *collectum* est *ex Præceptis Naturalibus*, v. §. 3. *J. b. Gentium*, l. 5. *ff. de J. & J.* §. 2. *J. d. J. N. G. & C. & Civilibus* §. IV. *J. b. v.* §. 3. *J. d. test. ord.* l. 21. *C. d. testam.*

TIT. II.

De Jure Naturali, Gentium
& Civili.

Juris naturalis 1.) *Descriptio.* 2.) *Subjectum.*
3.) *Effectus.*

Ex Ulp. l.
1. §. 3. ff.
d. J. & J.

JUS naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Nam Jus istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quæ in cælo, quæ in terra, quæ in mari nascuntur. Hinc descendit maris atque fœminæ conjunctio, quam nos Matrimonium appellamus; hinc liberorum procreatio, hinc educatio: videmus etenim cetera quoque animalia istius Juris peritia censer.

Distinctio Juris gentium & civilis 1.) *a personis hoc jure utentibus.* hinc *utriusque Juris Definitio*
Realis & Nominalis.

1.) Jus autem civile a jure Gentium distinguitur: quod omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum Jure utuntur. Nam *quod quisque populus ipse sibi Jus constituit*, id ipsius civitatis proprium est, vocaturque Jus civile, quasi Jus proprium ipsius

ipſius civitatis. Quod vero *naturalis ratio inter omnes homines conſtituit*, id apud omnes peræque cuſtoditur, vocaturque Jus gentium, quaſi quo Jure omnes gentes utantur. Et populus itaque Romanus partim ſuo proprio, partim communi omnium hominum Jure utitur. Quæ ſingula qualia ſint, ſuis locis proponemus.

2. *Ab appellatione & 3. effectibus.*

2. Sed Jus quidem civile ex unaquaque civitate appellatur, veluti Athenienſium. Nam ſi quis velit Solonis vel Draconis Leges appellare Jus civile Athenienſium, non erraverit. Sic enim & Jus, quo Romanus populus utitur, Jus civile Romanorum appellamus, vel Jus Quiritum, quo Quirites utuntur; Romani enim a Romulo Quirites a Quirino appellantur. Sed quoties non addimus nomen, cujus ſit civitatis, noſtrum Jus ſignificamus: ſicuti cum Poëtam dicimus, nec addimus nomen, ſubauditur apud Græcos egregius Homerus; apud nos Virgilius. Jus autem gentium omni humano generi commune eſt. Nam *uſu exigente & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ Jura quædam ſibi conſtituerunt.* Bella etenim orta ſunt & *captivitates ſequutæ, & ſervitutes*, quæ ſunt naturali Juri contrariæ. Jure enim naturali omnes homines ab initio liberi naſcebantur. Et ex hoc Jure gentium *omnes pene contractus* introducti ſunt, ut emtio & venditio, locatio & conductio, ſocietas, depositum, mutuum, & alii innumerabiles.

Ex Her-
mog. l. 3.
ff. d. J.
& J.

*Diviſio Juris civilis in ſcriptum, & non ſcriptum;
& ſubdiviſio Juris ſcripti.*

3. Conſtat autem Jus noſtrum, quo utimur, aut ſcripto, aut ex non ſcripto: ut apud Græcos, τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἀγραφοι. Scriptum autem Jus eſt, 1. Lex, 2. Plebiſcita, 3. Senatus conſulta,

Ex Ulp.
l. 6. §. 1.
& Papin.
l. 7. pr. ff.
d. J. & J.

B

4. Prin-



4. Principum placita, 5. Magistratum edicta, 6. responsa Prudentum.

De Lege & Plebiscito.

4. Lex est, quam populus Romanus Senatorio Magistratu interrogante (veluti Consule) constituebat. Plebiscitum est, quod plebs plebejo magistratu interrogante (veluti tribuno) constituebat. Plebs autem a populo eo differt, quo species a genere: nam appellatione populi universi cives significantur, connumeratis etiam Patriciis & Senatoribus, ceteri cives significantur. Sed & Plebiscita, Lege Hortensia lata, non minus valere, quam leges cœperunt.

De Senatusconsulto.

5. Senatusconsultum est, quod Senatus jubet atque constituit. Nam cum auctus esset populus Romanus in eum modum, ut difficile esset in unum eum convocari Legis faciendæ causa: æquum visum est, Senatum vice populi consuli.

Constitutiones Principum definite & divise.

*Ex Ulp.
l. 1. ff. d.
Constitut.
princip.*

6. Sed & quod Principi placuit, Legis habet vigorem: cum Lege regia, quæ de ejus imperio lata est, populus ei, & in eum omne imperium suum & potestatem concessit. Quodcunque ergo Imperator per 1. epistolam constituit, vel cognoscens 2. decrevit, vel 3. Edicto præcepit, Legem esse constat, hæc sunt, quæ Constitutiones appellantur. Plane ex his quædam sunt personales, quæ nec ad exemplum trahuntur: quoniam non hoc Princeps vult. nam quod alicui ob meritum indulget, vel si quam pœnam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non transgreditur. Aliæ autem cum generales sint, omnes procul dubio tenent.

De Magistratum Edictis sive jure honorario.

7. Praetorum quoque Edicta non modicam obtinent Juris auctoritatem. Hoc etiam Jus honorarium

rium solemus appellare: quod qui honores gerunt, id est, magistratus, auctoritatem huic Juri dederunt. Proponebant & *Ædiles Curules* Edictum de quibusdam causis, quod Edictum Juris honorarii portio est.

De Responsis Prudentum, eorumque definitione, origine, & efficacia.

8. *Responsa Prudentum sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat de jure respondere.* Nam antiquitus constitutum erat, ut essent, qui jura publice interpretarentur, quibus a Cæsare jus respondendi datum est, qui Juris consulti appellabantur: quorum omnium sententiæ & opiniones eam auctoritatem tenebant, ut judici recedere a responsis eorum non liceret; ut est constitutum.

De Jure non scripto seu consuetudine.

9. *Sine Scripto Jus venit, quod usus approbavit.* Nam diuturni mores, consensu utentium comprobati, Legem imitantur.

Ratio aliqualis superioris in §. 3. traditæ divisionis.

10. Et non ineleganter in duas species Jus civile distributum esse videtur: nam origo ejus ab institutis duarum civitatum, Athenarum sc. & Lacedæmoniorum, fluxisse videtur. In his enim civitatibus ita agi solitum erat, ut *Lacedæmonii* quidem magis ea, quæ pro Legibus observarent, memoriæ mandarent: *Athenienses* vero ea, quæ in Legibus scripta comprehendissent, custodirent.

Adjuncta juris: Immutabilitas & mutabilitas.

11. Sed *naturalia* quidem *Jura*, quæ apud omnes gentes peræque observantur, divina quadam providentia constituta, semper firma atque immutabilia permanent. Ea vero, quæ ipsa sibi quæque *civitas* constituit, sæpe mutari solent, vel tacito consensu populi, vel alia postea Lege lata.

Transitus.

Ex Ulp. l. 1. de stat. hom. 12. Omne autem Jus, quo utimur, vel 1. ad *personas* pertinet, vel 2. ad *res*, vel 3. ad *actiones*. Et prius de personis videamus. Nam parum est Jus nosse, si Personæ, quarum causa constitutum est, ignorantur.

I.

Pr. I. h. **A** Causa Efficiente *Jus* dividitur in *Naturale, Gentium & Civile*. *Naturale* idque *improprium* est, quod Natura omnia animalia docuit, sive ordo a Creatore constitutus circa illa potissimum, quæ ad conservandam ipsam naturam, i. e. speciem & individua animalium faciunt: ut sobolis procreatio, educatio *PR. 7. b. Proprium* est quod *honestum ac turpe* discernit, atque illud faciendum, hoc fugiendum esse dicitur. *a. § 3. f. d. f. & f. l. 2. l. 3. ff. eod.*

S. 1. 2. I. h. II. *Jus Gentium, Usu Gentium* ob Communitatem Utilitatem circa *Arbitraria* receptum; *§. I. & II. 7. b.* Hinc 1.) Belli Indictio, s. Clarigatio ad effectum belli justii jure Gentium necessaria; 2.) Contractuum plerorumque Origo: *d. §. II. l. 5. ff. d. f. & f.* Verborum autem *l. 1. ff. Locat.* Literarumque Obligatio *pr. f. de literar. obl.* Juri Civili debet ortum. *a. d. l. 5.*

III. *Jus Civile* est: Quod cujusvis Reip. Legislator in *Utilitatem sue Reip.* constituit. *§. I. 7. b.* Tale dicitur *κατ' ἐξοχήν* Romanum. *§. II. 7. b.* Atque hoc, quatenus in nostro Imperio promulgatum, est vel *Universale*, ab Imperatore & Statibus Imperii conditum. *f. P. O. & M. Part.*

Part. 8. §. gaudeant, vel *Particulare*, aut *Generalius*, vi Superioritatis territorialis (Landes Fürstlicher oder hoher Obrigkeit) a singulis *Statibus* in suo territorio constitutum. *J.P.O. & M. art. 8. §. 1. Cap. Leop. art. 3.* aut *Specialius* s. *Statutarium*, quod Civitates, *Universitates*, vel Collegia in suam Utilitatem condunt, & vel ex Jure condentis, *fac. l. 37. ff. de reb. auct. jud. poss.* vel Superioris Confirmatione obligat. *a. l. f. C. de legib.*

IV. *Jus Civile* a Modo constituendi abit in *Scriptum & Non-Scriptum*. *Scriptum*; Quod Legislatoris *expressa voluntate* conditur. §. III. *J. b. a. l. 2. §. 4. ff. d. O. J.* Idque est vel *Civile* in specie sic dictum, vel *Prætorium*. *Civile*: Legibus, Plebiscitis, Sctis, Principum Placitis & Responsis Prudentum introductum. *L. 7. ff. de J. & J.* Illius Species sunt: 1.) *Lex*, (in Statu Populari) quam *Populus Romanus* Senatorio Magistratu interrogante (veluti Consule, Dictatore) constituit. §. IV. *J. b.* 2.) *Plebiscitum*, quod *Plebs* (opposita ordini Senatorio & Equestri, *fac. l. 10. C. de Nupt.*) Plebejo Magistratu interrogante (veluti Tribuno) constituit. *d. §. IV.* Hoc non minus, quam lex, valet. *d. §. IV. j. l. 1. §. 1. ff. ad L. Aquil.* 3.) *Senatus Consultum*, quod *Senatus* Juris Sancienti ergo jubet atque constituit. §. V. *J. b.* 4.) *Principis Placitum* s. *Constitutio*, quæ est Jus a *Principibus* promulgatum. Nam *Populus* omne Imperium suum & Potestatem Principi concessit *Lege Regia*. §. VI. *J. b. l. 1. §. 7. C. d. V. J. E.* *Constitutio* dispescitur

in *Generalem & Specialem*. *Generalis* omnes tenet, generaliterque *Universis* vel prodesse vel obesse solet §. VI. §. h. ut: 1.) *Edictum*, d. §. idque *Princeps proprio motu generaliter* in Utilitatem Reipubl. condit. l. 3. C. de leg. 2.) *Rescriptum*, quod ad *Consultationem*, relationem vel *Supplicationem aliorum* datur. L. 1. C. de div. rescript. Jure Civili autem Rescripto inferitur *Clausula*: Si preces Veritate nitantur, l. 7. C. de div. rescript. j. l. f. C. Si contra jus. quæ Jure Canonico. C. 2. X. de Rescr. (a) & hodierno subintelligitur. Ita resp. F. J. L. M. Aug. A. 1701. 3.) *Decretum*, quo *Princeps* inter partes litigantes *causa cognita* pronunciat, §. VI. §. h. j. l. 3. ff. d. his que in test. del. *Constitutio specialis* s. *Privilegium*, est *Jus singulare* contra juris generalis tenorem legitime concessum. l. 14. l. 16. ff. de legib. Dividitur 1.) A fine in *favorabile*, in favorem personæ reive; & *Odiosum*, in odium personæ reive concessum. §. VI. §. h. 2.) A subjecto inhætionis, in *Reale*, & *rei* conceditur, & cum re ad eum, cujus interest, transit. L. 68. L. 196. ff. d. R. F. (b) & *Personale*, & *Personæ* conceditur, illi cohæret, & cum ea extinguitur. §. VI. §. h. de §. VII. v. N. 5. in fin. 5.) *Responsum Prudentium*, i. e. *Sententia & opinio* eorum, quibus

(a) In Rescriptis Jure Canonico subintelligenda est conditio: si preces veritate nitantur, etiamsi non apponatur. C. 2. X. de Rescript.

(b) Jura personalia personis inhærent, & cum iis extinguntur, Realia vero cum ipsa re ad quosvis possessores transeunt. a. L. 68. L. 196. ff. d. R. F.

per-

permissum erat de Jure respondere. §. VIII. J. b. §. 8. I. h.
 Si moderna Jctorum Collegia spectes, Respon-
 sum Prudentum est vel *Informatorium*, quod ad
 petentis *informationem* datur; Hoc is, qui
 impetravit, s. pars s. Judex, præcise sequi non te-
 netur, *fac. R. J. d. A. 1654. §. 96.* vel *Litis Deciso-*
rium, sive *ad acta* emissum *fac. R. J. d. A. 1654.*
 §. 113; Hoc Judex regulariter sequi & in causa
 criminali ad pœnam corporis afflictivam ten-
 dente impetrare debet. *O. C. a. 160. 165. & fin.*

V. *Jus Prætorium* s. *Honorarium*, ex Magi-
 stratum Edicto profectum §. VII. J. b. est vel §. 7. I. h.
Prætorium in specie, vel *Ædilitium*. *Prætorium*
in specie, quod *Prætores introduxerunt*, adju-
 vandi, vel supplendi, vel corrigendi Juris Civilis
 gratia. *l. 7. §. 1. ff. d. J. & J.* Ex eo descendens
 Actio pœnalis est *Annalis*, *l. 35. ff. d. O. & A. (c)*
 etiam *hodie*. *Ædilitium* est, quod ex Edicto Æ-
 dilitium provenit *d. §. VII. l. 1. ff. d. edil. edict.*

VI. *Jus Non-scripsum* s. *Consuetudo*, est Jus
Tacita Legislatoris Voluntate per mores intro-
 ductum. §. IX. J. b. L. 32. §. 1. ff. d. leg. (d) Hæc §. 9. I. h.
 abit in *Universalem*, eaque in *toto Imperio Ro-*
mano Germanico obtinet, *fac. Cap. Leop. a. 4.*
 & *Particularem*, & in *certa Parte Imperii* lo-
 cum habet. Estque vel *Provincialis*, atque in
 certa *Provincia Imperii* (e.g. *der Sachsen Spie-*

(c) *Actiones prætorie pœnales sunt annales, rei persecu-*
torie perpetue. l. 35. ff. d. O. & A.

(d) *Inveterata consuetudo pro Lege non immerito custo-*
ditur. L. 32. §. 1. ff. d. Leg.

gel) vel *Localis* & in certo *Loco* Imperii attenditur.

VII. *Consuetudo* requirit *Actus* 1. *Publicos*, a. l. 18. ff. *Mand* (e) & *Continuos*, s. contrariis actibus non interruptos. a. l. f. C. *quæ sit long. consuet.* 2. *Frequentes* & *Diuturnos*, d. §. IX. eaque *Diuturnitas* determinatur *Jure Civili* arbitrio *Judicis*, a. l. 1. §. f. ff. d. *Fur. del.* quod *hodie* regulariter observandum est: *Jure Saxonico* 31. ann. 6. sep. 3. d. *fac. c. f. X. d. consuet. j. §. l. 1. a. 29.* 3. *Rationabiles*, i. e. *Juri Naturæ* & *Divino Universalis* haud repugnantes. C. f. X. d. *consuet. (f)* j. R. f. d. A. 1577. §. 1. j. O. C. a. 218. *Auth. Navigia C. d. furt.* *Consuetudo* apud *Lacedæmonios* imprimis obtinuit, apud *Athenienses* *Jus Scriptum*. §. X. f. b.

§. 10. I. h.

VIII. *Jus Civile* pro *Accidente* agnoscit *Mutabilitatem*. Contingit autem *Mutatio* posteriore *Lege* vel *Consuetudine* contraria: At *Jus Naturale* proprie sic dictum semper firmum atque *immutabile* permanet §. XI. f. b. Cæterum *Jus Gentium* *mutationi* est *obnoxium*, quod exemplum *Captivitatis* *Servorum*, inter *Gentes christianas* abrogatæ, declarat.

§. 11. I. h.

IX. *Jus Civile* versatur circa *Jus* cuique *tribuendum* ratione 1. *Status Personarum*; 2.

(e) *Qui patitur id fieri, quod prohibere potest & debet nisi velit pro consentiente haberi, mandare videtur.* a. l. 18. ff. *mand.*

(f) *Naturali Juri consuetudine derogari non potest* C. f. X. d. *Consuetud.*

Rerum

Rerum Externarum: 3. Modi, per actiones. §.
XII. f. b. l. 1. ff. d. Stat. hom.

§. 12. I. h.

TIT. III.

De Jure Personarum.

Prima divisio personarum ex jure Gentium.

Summa itaque divisio de Jure personarum hæc *Ex Caj.*
est: quod omnes homines aut *liberi sunt*, aut *l. 3. ff. d.*
servi. *Stat. hom.*

Definitio libertatis.

1. Et *libertas* quidem (ex qua etiam *liberi* vocan- *Ex Flo-*
tur) est *naturalis facultas ejus*, quod *cuique* *facere li-* *rent. l. 4.*
bet, nisi si quid vi aut Jure prohibetur. *ff. d. Stat.*
hom.

Definitio servitutis.

2. *Servitus* autem est *constitutio Juris gentium*, qua
quis dominio alieno contra naturam subjicitur.

Servi & Mancipii Etymologia.

3. *Servi* autem ex eo appellati sunt, quod *Impe-*
ratores captivos vendere, ac per hoc *servare*, nec
occidere solent: qui etiam *mancipia* dicti sunt, eo,
quod ab hostibus manu capiuntur.

Quibus modis servi constituuntur.

4. *Servi* autem aut *nascuntur*, aut *fiunt*; *nascun-* *Ex Mar-*
tur ex *ancillis nostris*: *fiunt* aut *Jure gentium*, id *cian. l. 5.*
est, ex *captivitate*: aut *Jure civili*, cum *liber ho-* *ff. d. Stat.*
mo, major *viginti annis*, ad *pretium* *participan-*
dum sese *venundari* passus est. *hom.*

De divisione in servos & liberos.

5. In *servorum* *condicione* nulla est *differentia*:
in *liberis* autem *multæ*. Aut enim sunt *ingenui*,
aut *libertini*.

B 5

I. Jus

I.

JUS Personarum est facultas hominibus ex civili sua conditione competens. Descendit ex Statu hominum s. Conditione hominum in Civili Societate viventium, secundum quam iis Jus redditur. Qui est vel Libertatis, quæ Juris Gentium facit participem; l. 3. l. 4. §. 1 ff. d. Stat. hom. Civitatis, quæ Jura Civis tribuit; l. 9. l. 18. §. 1. ff. de mun. & hon. Familiae, ex qua quis est vel Pater vel Filius familias, a. l. 4. ff. d. his qui sui vel al. jur. j. l. f. ff. d. cap. min.

- II. Divisio generalissima hominum est in
- Pr. I. h. Liberos & Servos. P. R. J. h. Liberi** gaudent Libertate, quæ est Naturalis Facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi (v. l. 23. §. f. ff. d. acquir. vel amitt. poss.) aut Jure (v. l. 15. ff. d. condit. Inst. (a) l. 185. ff. d. R. J. (b) prohibetur. §. I. J. h. b. Servi sunt in Servitute; Servitus autem est Constitutio Juris Gentium, qua quis Dominio alieno contra naturam (i. e. primum Naturalem Statum. l. 4. ff. d. J. & J. pr. J. d. libert.) subjicitur. §. II. J. h. b. Servi appellantur a servando, & Mancipia, eo quod ab hostibus manu capiuntur. §. III. J. h. b.

III. Servi constituuntur vel Nativitate, ex Ancillis §. IV. J. h. e. g. Turcicis apud nos; vel Facto, §. 4. I. h. & quidem 1.) Jure Gentium Captivitate. d. §. IV.

(a) Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam & generaliter contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est. l. 15. ff. d. cond. Inst.

(b) Impossibile nulla obligatio est. l. 185. ff. d. R. J.

Inter

Inter Christianos *hodie* Jus saltem detinendi & custodiendi hostem captivum conceditur, usque dum liberetur præsciente Belli Duce, Neuterbestall. d. A. 1570. §. 95. vel permutatione, vel lytro, vulgo Ranzion, promisso solutove: j. d. Neuterbestall. §. 94. Infideles autem, e. g. Turcæ, eos, quos bello ex nostris capiunt, in servilem conditionem detrudunt, R. F. d. A. 1542. §. ii. quem juris rigorem adversus illos retorquemus. a. L. i. ff. quod quisque jur. in alt. (c) 2.) Jure Civili, cum liber homo major 20. annis se conditionem hanc ignoranti l. 7. §. 2. f. ff. d. lib. caus. passus est venundari, & de pretio participavit. §. IV. F. b. j. l. i. ff. quib. ad lib. procl. non licet. Hodie per Conventionem constitui queunt: 1.) Homines proprii, Leibeigene. a Deut. c. 15. v. 12. l. f. C. de transact. illi tamen liberi sunt, licet glebæ adscripti pro prædii accessionibus habeantur. l. 7. C. d. agric. & Cens. vid. Ordin. Super. Lus. wegen der Unterthanen und deren Kinder, d. A. 1652. art. 1. 2.) Rustici ad Operas, Frohnen Dienste, obligati. j. Dec. l. 33. Huc referri queunt etiam Tuguriola Nobilium similiumve personarum ruri inhabitantes.

IV. Servi differentiam recipiunt quoad Officium, l. 15. §. 1. ff. de Usufr. non Statum §. V. §. 5. l. h. F. b.

(c) Quod quisque juris in alterum statuit, eodem & ipse uti debet. L. 1. ff. quod quisque jur. in alter. stat.

TIT.

TIT. IV.

De Ingenuis.

INGENUUS est is, qui statim, ut natus est, liber est: sive ex duobus ingenuis matrimonio editus est, sive ex libertinis duobus, sive ex altero ingenuo. Sed & si quis ex matre nascitur libera, patre vero seruo, ingenuus nihilominus nascitur, quemadmodum qui ex matre libera, & incerto patre natus est, quoniam vulgo conceptus est. Sufficit autem liberam fuisse matrem eo tempore, quo nascitur, licet ancilla conceperit. Et e contrario, si libera conceperit, deinde ancilla facta pariat, placuit, eum, qui nascitur, liberum nasci: quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in ventre est. Ex his illud quaesitum est, si ancilla prægnans manumissa sit, deinde ancilla postea facta pepererit, liberum, an servum pariat? Et Marcianus probat, liberum nasci. Sufficit enim ei, qui in utero est, liberam matrem vel medio tempore habuisse, ut liber nascatur. Quod & verum est.

Ex Marcian. l. 5. ff. d. Stat. homin.

De servitute & manumissione putativa s. facti.

I. Cum autem ingenuus aliquis natus sit, non officit ei in servitute fuisse, & postea manumissum esse: sæpissime enim constitutum est, natalibus non officere manumissionem.

I.

Homines Liberi dividuntur in Ingenuos, & Libertinos. Ingenui dicuntur, qui statim, ut nati, sunt Liberi, sive nascantur ex utroque Parente Libero s. ex Matre saltem Libera, Pr. I. h. ejus enim statum sequuntur. Pr. J. h. (a) j. L.

(a) Non debet calamitas Matris ei nocere, qui in ventre est. Pr. J. d. Ingen.

19. ff.

19. ff. d. Stat. hom. (b) Sufficit autem Matrem Liberam fuisse Tempore Partus vel editi, vel gestati, vel concepti d. P. R. conf. Nov. 156. de prole partienda inter rusticos. Ordin. Sup. Lusat. d. A. 1652. wegen der Untertanen art. 4. in fin. Cæterum, ne delictum Matris Ventri noceat, cavetur hodieque tam in procedendi quam puniendi Modo; Proinde *fœmina prægnans* neque Torturæ neque Territioni subicitur, a. l. 3. ff. d. pœn. atque ultimum supplicium aliave Pœna corporis afflictiva in eam statuenda differtur. d. l. 3.

II. Homines liberi manent Ingenui, licet, per errorem pro servis habiti, sint manumissi. (c) §. I. J. b. j. l. 21. §. 1. ff. d. cap. & postlim. v. L. 6. §. 1. I. h. ff. ad Municip. Ita ex Nobilibus descendentes, Juribus Nobilitatis haud usi, Renovatione Nobilitatis impetrata, non pro novis, sed antiquis Nobilibus habendi sunt.

TIT. V.

De Libertinis.

Definitio & origo libertinorum, & manumissionis.

LIBERTINI sunt, qui ex justa servitute manumissi sunt. Manumissio autem est de manu datio. Nam quamdiu aliquis in servitute est, manui & potestati suppositus est: & manumissus, liberatur a domini potestate. Quæ res a Jure gentium originem sumit: utpote quum Jure naturali omnes liberi nasce-

Ex Cajo l. 6. de Stat. homin. & Ulpian. l. 4. ff. d. J. & J.

(b) Cum legitime nuptiæ factæ sunt, patrem liberi sequuntur, vulgo quæsitus matrem sequitur. L. 19. ff. d. Stat. hom.

(c) Errore veritas non amittitur. L. 6. ff. ad Municip.

rentur

rentur, nec esset nota manumissio, cum servitus esset incognita, sed postquam Jure gentium servitus ingenuitatem invasit, secutum est beneficium manumissionis. Et cum uno communi nomine omnes homines appellarentur, Jure gentium tria hominum genera esse cœperunt: *liberi*, & his contrarium, *servi*, & tertium genus, *libertini*, qui *desierant esse servi*.

Quibus modis manumittatur.

1. Multis autem modis manumissio procedit: aut enim ex Sacris constitutionibus in Sacrosanctis Ecclesiis, aut 2. vindicta, 3. aut inter amicos, 4. aut per epistolam, 5. aut per testamentum, aut 6. per aliam quamlibet ultimam voluntatem. Sed & 7. aliis multis modis libertas servo competere potest, qui tam ex veteribus, quam ex nostris Constitutionibus introducti sunt.

Ubi & quando manumitti possit.

2. Servi vero a dominis *semper* manumitti solent: adeo ut vel in transitu manumittantur: veluti cum Prætor, aut Præses, aut Proconsul, in balneum, vel in theatrum eant.

De libertinorum divisione sublata.

3. Libertinorum autem status tripertitus antea fuerat. Nam qui manumittebantur, modo majorem & justam libertatem consequerentur, & fiebant 1. *cives Romani*: modo minorem, & 2. *Latini* ex Lege Junia Norbana fiebant: modo inferiorem, & fiebant ex Lege Ælia Sentia 3. *dedititii*. Sed dedititiorum quidem pessima conditio jam ex multis temporibus in desuetudinem abiit, Latinorum vero nomen non frequentatur: ideoque nostra pietas omnia augere, & in meliorem statum reducere desiderans, * duabus Constitutionibus hoc emendavit, & in pristinum statum reduxit, quia & a primisur-
bis

* *v. l. un.
C. de Lat.
lib. sol. &*

bis Romæ cunabulis una atque simplex libertas compete-^{l. un. C. de}
 bat, id est, ea, quam habebat manumissor: nisi ^{deditio.}
 quod, scilicet, libertinus fit, qui manumittitur, ^{lib. toll.}
 licet manumissor ingenuus sit. Et dedititios qui-
 dem per Constitutionem nostram expulimus, quam
 promulgavimus inter nostras decisiones: per quas,
 suggerente nobis Triboniano, Viro excelso, Quæ-
 store nostro, antiqui Juris altercationes placavi-
 mus; Latinos autem Junianos, & omnem, quæ cir-
 ca eos fuerat, observantiam, alia constitutione per
 ejusdem Quæstoris suggestionem correximus; quæ
 inter Imperiales radiat sanctiones. Et omnes li-
 bertos (nullo nec ætatis manumissi, nec domini
 manumittentis, nec in manumissionis modo discrimi-
 ne habito, sicut antea observabatur) civitate Ro-
 mana donavimus: multis modis additis, per quos
 possit libertas servis cum civitate Romana, quæ sola
 est in præsentî, præstari.

I.

Libertini sunt ex justa Servitute Manumissi.
 PR. §. b. Hi constituuntur per Manumis- Pr. I. h.
 sionem, eaque est Libertatis Datio, l. 4. ff. d. §.
 & §. l. a Potestate Dominica dimissio, d. l. Pr.
 §. b. & oritur ex Jure Gentium: d. Pr. d. l. 4. De-
 terminatur autem Jure Civ e. g. quoad modos
 manumittendi. §. I. §. b. Manumissio fit modis §. I. I. h.
 vel civilibus s. solennibus; ut 1.) in Sacrosan-
 ctis Ecclesiis, §. I. §. b. 2.) Vindicta, §. I. §. b.
 3.) per Testamentum. §. I. §. b. Hodie homi-
 nes proprii & Testamento & Voluntate coram
 Magistratu declarata libertate donantur: vel na-
 turalibus s. minus solennibus; ut Manumissione
 1.) Inter Amicos, l. un. §. 2. C. d. Lat. lib. toll.
 2.) Per

2.) Per Epistolam, *d. l. un. §. I.* 3.) Per quamlibet ultimam Voluntatem: ut Codicillos. *§. I. f. h. Hodie* homines proprii naturalibus hisce modis liberationem a Potestate Dominorum consequi possunt, & Affrancamenti, *den Last Briesen*, (ab Ital. affrancare, *besreyen*, dictis) locus est.

§. 2. I. h. II. Manumissio fit *Tempore §. II. f. h. j. l. 8. C. de ser. & Loco quovis* etiam extra Judicium: *d. §.* quia est Actus voluntariæ Jurisdictionis. Id quod hodie ad Testamentorum insinuationes applicare licet.

III. *Manumissio operatur Jure Novo* in Manumissis *Jus I. Civium Romanorum, §. III. f. h.* sublata Conditione 1.) Latinorum, *l. un. C. d. latin. libert. toll. d. §.* 2) Dedititorum. *l. un. C. d. deditit. libert. toll. II. Ingenuorum. N. 78. c. 5. j. d. N. c. 2. (a)*

TIT. VI.

Qui, & ex quibus causis manumittere non possunt.

Prius caput Legis Æliæ Sentia, de manumittente in fraudem creditorum.

NON tamen cuicumque volenti manumittere licet. Nam is, qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit: quia Lex Ælia Sentia impedit libertatem.

De servo instituto cum libertate.

i. Licet autem domino, qui solvendo non est, in

(a) *Libertini sunt ingenuis Jure novo exæquati, salvo tamen jure Patronatus. Nov. 78. c. 2. 5.*

testa-

testamento servum suum cum libertate heredem instituere, ut liber fiat, *heresque ei solus & necessarius*; si modo ei nemo alius ex eo testamento heres extiterit: aut quia nemo heres scriptus sit, aut quia is, qui scriptus est, qualibet ex causa heres non extiterit. Idque eadem Lege Ælia Sentia provisum est, & recte. Valde enim prospiciendum erat, ut egenteshomines, quibus alius heres exiturus non esset, vel servum suum necessarium heredem haberent, qui satisfactorius esset creditoribus: aut hoc eo non faciente, creditores res hereditarias servi nomine vendant, ne injuria defunctus adficiatur.

De servo instituto sine libertate.

2. Idemque Juris est, etsi sine libertate servus ^{* v. l. pen. C. de necess. serv. her. inst.} heres institutus est. Quod nostra Constitutio non solum in domino, qui solvendo non est, sed generaliter constituit, nova humanitatis ratione: ut ex ipsa scriptura institutionis etiam libertas ei competere videatur: cum non sit verisimile, eum, quem heredem sibi elegit, si prætermiserit libertatis dationem, servum remanere voluisse, & neminem sibi heredem fore.

Quid sit in fraudem creditorum manumittere.

3. In fraudem autem creditorum manumittere ^{Ex Cajo l. 10. ff. qui & ex quibus.} videtur, qui, vel jam eo tempore, quo manumittitur, solvendo non est: vel, qui datis libertatibus, ^{desi-} ^{turus} est solvendo esse. Prævaluisse tamen videtur, nisi *animum* quoque *fraudandi* manumissor habuerit, non impediri libertatem, quamvis bona ejus creditoribus non sufficiant: *sæpe enim de facultatibus suis amplius, quam in his est, sperant homines.* Itaque tunc intelligimus impediri libertatem, cum utroque modo fraudantur creditores, id est, & *consilio* manumittentis, & *ipsare*, eo quod ejus bona non sunt suffectura creditoribus.

C

Alte.



Alterum caput Legis Æliæ Sentia, de minore viginti annis.

4. Eadem Lege Ælia Sentia domino minori viginti annis non aliter manumittere permittitur, quam si 1. vindicta apud 2. Consilium, 3. iusta causa manumissionis probata fuerint manumissi.

Quæ sint iustæ causæ manumittendi.

Ex Ulpia-
no l. ii. §
13. ff. de
manum.
vind.

5. Iustæ autem manumissionis causæ hæc sunt: veluti si quis patrem aut matrem, filium filiamve, aut fratrem sororemve naturales, aut pædagogum, aut nutricem, aut educatorem, alumnum alumnamve, aut collactaneum manumittat; aut servum procuratoris habendi gratia; aut ancillam matrimonii causa, dum tamen intra sex menses in uxorem ducatur, nisi iusta causa impediatur; & servus, qui manumittitur procuratoris habendi gratia, non minor decem & septem annis manumittatur.

De causa semel probata.

6. Semel autem causa adprobata, sive vera sit, sive falsa, non retractatur.

Abrogatio posterioris capitis Legis Æliæ Sentia.

7. Cum ergo certus modus manumittendi minoribus xx. annis dominis per Legem Æliam Sentiam constitutus erat: eveniebat, ut qui xiv. annos ætatis expleverat, licet testamentum facere, & in eo sibi heredem instituere, legataque relinquere posset; tamen si adhuc minor esset xx. annis, libertatem servo dare non posset. Quod non erat ferendum, si is, cui totorum suorum bonorum in testamento dispositio data erat, uni servo dare libertatem non permittebatur; quare nos similiter ei, quemadmodum alias res, ita & de servis suis in ultima voluntate disponere, quemadmodum voluerit, permittimus, ut & libertatem eis possit præstare. Sed cum libertas inestimabilis res sit, & propter

pter hoc ante xx. ætatis annum antiquitas libertatem seruo dare prohibebat: ideo nos mediam quodammodo viam eligentes, non aliter minori xx. annis libertatem in testamento dare seruo suo concedimus, nisi xvii. annum impleverit, & xviii. attingerit. Cum enim antiquitas huiusmodi ætati pro aliis postulare concesserit; cur non etiam sui iudicii stabilitas ita eos adjuvare credatur, ut ad libertatem dandam servis suis possint pervenire?

I.

MANUMISSIO impeditur per Legem Æliam Sentiam, & Fuliam Caniniam: *Lex Ælia Sentia capite Primo Servos in Fraudem Creditorum Manumitti prohibet.* PR. I. b. j. a. L. 5. C. d. Leg. (a) Nisi quod Domino permittitur, ut Ignominiam Venditionis bonorum sub hasta ob æs alienum evitet. l. 23. ff. quæ in fraud. cred. Servum Necessarium hæredem instituere cum Expressa Libertatis datione. §. I. J. b. vel Tit. cita, quæ per hæredis institutionem facta intelligitur, §. II. J. b. j. l. 5. C. d. necess. Serv. her. Inst. a. L. 2. ff. d. Jurisd. (b) Hodie non tam subhastatio quam Dolus foro cedentis infamat. Ord. Pol. Imp. d. A. 1577. t. 23. §. 1. 2. Res. Gr. d. A. 1661. gr. 78. j. Dec. El. 30.

II. Requirit autem Manumissio in Fraudem Creditorum Defraudationis 1. Consilium, 2. Even-

(a) Quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta non solum inutilia, sed pro infectis etiam habentur. L. 5. C. d. Leg.

(b) Qui vult finem, velle etiam creditur media, sine quibus finis obtineri nequit. a. l. 2. ff. de Jurisd.

C 2

tum,

tum, five Manumissor jam eo tempore, quo Manumissio fit, solvendo non sit. v. L. 114. ff. d. V. S. (c) five datis libertatibus desiturus sit
 §. 3. I. h. solvendo esse. §. III. f. b. Etiam hodie Creditorum Defraudationem ex Consilio Eventuque metimur, & solvendo non esse dicimus eum, qui solidum solvere nequit. d. l.

III. Lex Ælia Sentia Capite Secundo a Dominis Minoribus 20. annis, Juxta manumittendi Causa apud Consilium non probata, Servos Manumitti
 §. 4. I. h. prohibet. §. IV. f. b. Exigitur itaque r. 1. Judicii: Consilium, i. e. Confessus Judicium, 2. Ætatis: Manumissor 20. annis Minor; at postea ei, qui 18. annum attigit, Testamento manumittere licuit. §. VII. f. b. (d) id quod tandem cuivis Puberi permissum est. N. 119. c. 2. Hodie ii, qui Homines Proprios habent, non nisi Majores facti eos inter vivos Manumittunt, Ultima Voluntate vero, cum Testari queunt. 3. Causæ, Causa Juxta: vel Vere, qualis est Favor 1.) Manumittendi, 2.) Causæ, 3.) Manumittentis, ut si Procuratoris habendi gratia non minor decem & septem annis Manumittatur. §. V. f. b. j. l. 1. §. 3. ff. d. postul. C. 5. d. Proc. in 6. Hodie Usus est varius. In Belgio Procurator 20. annis minor admissus est, nec apud Saxones Minor, adversario omittente exceptionem inhabilitatis, a procuratorio munere in judicio arcetur, ceu visum F. f.

(c) Solvendo esse nemo intelligitur, nisi qui solidum solvere potest. L. 114. ff. d. V. S.

(d) Libertas inestimabilis res est, §. 7. f. b.

L. M.

L. M. Maj. 722. aliud obtinet Jur. Sax. Elect. noviss. v. Mandat. Advocatos concernens d. A. 1723. §. 1. vel Fictæ, talis est falsa Causa semel approbata, retractari enim nequit. §. VI. I. h. l. 9. §. 6. I. h. §. 1. ff. d. manum. vind. ob favorem Libertatis. L. 122. ff. d. R. J. (e) j. L. 33. ff. d. re jud.

TIT. VII.

De Lege Fusia Caninia tollenda.

Legis summa & causa emendationis indicatur.

LEGE Fusia Caninia certus modus constitutus erat in servis testamento manumittendis. Quam quasi libertates impediens, & quodammodo invidiam, tollendam esse censuimus, cum satis fuerat inhumanum, vivos quidem licentiam habere, totam suam familiam libertate donare, nisi alia causa impediatur libertatem; morientibus autem hujusmodi licentiam adimere.

§. I.

Lex Fusia Caninia Certum Numerum, in Servis Testamento Manumittendis, desinivit. §. un. I. h. Sed abrogata est, quia Minus Licere non debet Ultima Voluntate quam Actu inter vivos. d. §. j. L. 1. C. d. Sacros. Eccl. (a) quæ Regula cessat, quoties diversa est Actus Mortis Causa & inter Vivos Ratio. a. N. 117. c. 1. j. l. 11. C. qui testam. fac. poss. I. f. 8. P. 2. C. El. 14.

(e) Libertas omnibus rebus est favorabilior. L. 122. ff. d. R. J.

(a) Nihil est, quod magis hominibus debeat, quam ut supremæ voluntatis liber sit stylus & licitum, quod iterum non redit, arbitrium. L. 1. C. d. Sacros. Eccl.

TIT. VIII.

*De iis, qui sui, vel Alieni Juris sunt.**Altera divisio personarum.*

*Hæc divi-
sio ex 1. li-
bro Caji
Instit. §
1. 1. 4. 2.*

SEQUITUR de jure personarum alia divisio. Nam quædam personæ *sui juris* sunt, quædam *alieno juri* subjectæ. Rursus earum, quæ alieno juri subjectæ sunt, aliæ sunt *in potestate parentum*, aliæ *in potestate dominorum*. Videamus itaque de iis, quæ alieno juri subjectæ sunt. Nam si cognoverimus, quæ istæ personæ sunt, simul intelligemus, quæ *sui juris* sunt. Ac prius dispiciamus de his, quæ *in potestate dominorum* sunt.

De jure gentium in servos.

1. *In potestate itaque dominorum sunt servi*, quæ quidem potestas juris gentium est. Nam apud omnes peræque gentes animadvertere possumus, *dominis in servos vitæ necisque potestatem* fuisse: & *quodcumque per servum acquiritur, id domino* adquiri.

De Jure civium Romanorum in servos.

2. Sed hoc tempore nullis hominibus, qui sub imperio nostro sunt, licet *sine causa Legibus cognita in servos suos supra modum sævire*. Nam, ex constitutione Divi Antonini, qui sine causa servum suum occiderit, non minus puniri jubetur, quam si alienum servum occiderit. Sed & major asperitas dominorum, ejusdem Principis Constitutione coërcetur. Nam Antoninus consultus a quibusdam Præsidibus provinciarum de his servis, qui ad ædem sacram, vel ad statuam Principum, confugiunt, præcepit, ut si intolerabilis videatur sævitia dominorum, cogantur servos suos bonis conditionibus vendere, ut pretium dominis daretur, & recte. *Expedi enim Reipublicæ, ne sua re quis male utatur*. Cujus rescripti ad Ælium Marcianum emissi verba sunt hæc: *Dominorum quidem potestatem in servos suos*

suos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum jus suum detrabi, sed & dominorum interest, ne auxilium contra sævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam denegetur iis, qui juste deprecantur. Ideoque cognosce de querelis eorum, qui ex familia Julii Sabini ad statuam confugerunt, & si vel durius habitos, quam æquum est, vel infami injuria adfectos esse cognoveris, venire jube, ita ut in potestatem domini non revertantur. Quis si mee Constitutioni fraudem fecerit, sciat me hoc admissum severius executurum.

§. I.

Personæ sunt vel sui Juris, quæ nec Patriæ nec Dominicæ Potestati subsunt. *PR. I. b. vel Pr. I. h.* alieni Juris, exque vel in Potestate Dominica, vel Patria. *Potestas Dominica, Domino in servos competit, & Jure Gentium Extensa i.) ad Potestatem Vitæ & Necis, Externo scil. non interno Jure Gentium. a. L. 3. ff. d. I. & I. (a) 2.) ad Plenariam Acquisitionem. §. 1. F. b. (b) at Jure §. 1. I. h. Civili Temperata Constitutione Antonini, dum propter servos occisos a Dominis sine causa, Homicidii pœnam ex L. Cornelia in Dominos statui voluit. §. II. F. b. j. l. 1. §. 2. ff. ad L. Corn. de Sic. §. 2. I. h. l. 23. §. 9. ff. ad L. Aquil. quod hodie in primis observandum, a. l. 3. C. d. Episc. aud. O. C. a 137. Num. c. 35. v. 31. seq. adeoque pœnæ ultimi supplicii in dolo hoc homicida locus erit. Servos, intolerabili sævitia tractatos, a Dominis, Antoninus bonis*

(a) *Cum inter homines cõgnationem quandam natura constituerit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse. L. 3. ff. d. F. & F.*

(b) *Quodcunque per Servum acquiritur, id Domino acquiritur. §. 1. F. b.*

C 4

condi-



conditionibus vendi, pretiumque Dominis dari jussit. §. II. *J. b. (c) j. L. ii. C. d. contrab. emt.* (d) Præterea servos, qui ad Statuas Principum, Asyli instar, confugerant, audiri imperavit. *d. §. j. l. un. C. d. his, qui ad Stat. confugiunt.* Hodie homines Proprii, Sævitiâ Dominorum juste metuentes, Cautionem de non offendendo a Dominis exigere possunt. *fac. O. C. a. 176.* Domini Jurisdictionis autem Potestate sua gravissima Sævitiâ abutentes tandem ipsa Privatione Jurisdictionis coerceri queunt. *a. b. §. II. C. 24. X. de priv.* (e) Heris in liberos homines, quorum conducere operam, moderata correctio domestica quidem, sive verbis sive verberibus fiat, permitti solet. *a. l. un. C. d. emend. serv. a. l. 5. §. f. ff. ad L. Aquil.* ea tamen, quoties modum excedit, impunis non est. Cæterum *Asyli Fus* in Ecclesiis obtinens. *a. l. 6. C. d. his, qui ad Eccl. conf. c. 6. X. d. immun. Eccl.* apud Protestantes in Imperio nostro merito negligitur. Interim salva est contra vim Immunitas Asyilis, sive universaliter ab Imperatore, sive particulariter a Dominis Territorii constitutis.

II. Potestati Dominicæ affinis est *Potestas Dominorum I. In homines Proprios, II. In Rusticos ad operas devinctos.* *Homines Proprii sunt Per-*

(c) *Expedit Reipublicæ, ne quis re sua male utatur.* §. 2. *J. b.*

(d) *Invitum distrabere postulantis desiderium justam causam non habet.* *L. 11. C. d. contr. emt.*

(e) *Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.* *C. 24. X. d. privileg.*

sonæ

sonæ liberæ, a Jure emigrandi & libertatis plenariou usu, ob vinculum, quo Dominis suis instar servorum adstringuntur, *exclusæ. a. l. 6. § 5. C. d. Episc. & Cler. l. 23. §. 1. C. d. agric. & cens. l. 21. l. 22. C. eod. vid. & N. lib. 3. art. 44. conf. Chur-Sächß. Landes-Ordn. im Marggrafthum Nieder-Lausitz. t. 2. §. 4. seq. Homines proprii dividuntur in Originarios, & ex hominibus propriis nati sunt. a. l. 4. C. d. agric. & cens. & Adscriptitios s. Novitios, & homines Proprii facti sunt. l. 23. §. 1. C. eod. Proprii homines obligantur Domino plerumque ad 1.) Reverentiam. 2.) Auxilium. 3.) Præstandum fidelitatis & Obedientiæ Juramentum. 4.) Operas & Præstationes, ut Frohnen, Korn-Geld-Pächte, Hühner. 5) Jura venditionalia, Nachsteuer. 6) In eventum mortis zum Haupt-Gewant-Fall. v. Tract. Syn. Pand. ad lib. 40. p. 493.*

III. *Rusticorum operæ, Frohnen, Dienste, sunt servitia equis, plaustris, manibus, pedibus aliisque modis gratis aut modica compensatione interveniente, (Lieferung,) ad alterius utilitatem exhibenda. Operæ hæ dividuntur 1.) r. Modi in Equestres, Pferde-Dienste, & Manuales, Hand-Frohnen. 2.) r. Quantitatis in Determinatas & Indeterminatas, gemessene und ungemessene Dienste. j. Dec. El. 33. 3.) r. Causæ in ordinarias, quæ regulariter debentur, e. g. Baufohren. Ord. Prov. d. A. 1555. t. Baufohren. §. demnach. C. S. p. 50. & Extraordinarias, quæ irregulariter debentur, e. g. Wachdienste. v. P. 2. C. El. 51.*

C 5 conf.

conf. Tractat. Syn. Pand. t. d. oper. libert. p. 458. seq.

TIT. IX.

*De Patria Potestate.**Summa Tituli.*

IN potestate nostra sunt *liberi* nostri, quos ex iustis nuptiis procreavimus.

Definitio nuptiarum.

Ex Modest. l. i. de rit. nups.

1. *Nuptia* autem, sive matrimonium, est viri & mulieris conjunctio, individuum vitæ consuetudinem continens.

Qui habeant in potestate.

2. Jus autem potestatis, quod in liberos habemus, proprium est civium Romanorum: nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.

Qui sint in potestate.

3. Qui igitur ex te & uxore tua nascitur, in tua potestate est. Item qui ex filio tuo & uxore ejus nascitur, id est, nepos tuus & neptis, æque in tua sunt potestate, & pronepos, & proneptis, & deinceps ceteri. Qui autem ex filia tua nascitur, in potestate tua non est, sed in patris eorum.

I.

Potestas Patria est facultas Patri competens Libervis imperandi quoad Personam l. 2. ff. d. R. N. & Res l. 6. C. d. bon. quæ lib. ad com-

PR. I. h. munem familiæ utilitatem fac. PR. J. h. §. 1. v. N. 4. Ea Originem habet ex Jure Naturali, De §. 2. I. h. terminationem ex Jure Civili §. II. J. h. & olim Rigo-

Rigoris plurimum continuit. *a. l. ii. ff. d. lib. & posth.* postea temperata est. *l. 3. l. 4. C. d. Patr. Pot. l. 2. ff. d. contrab. emt. j. N. 117. c. 1.* Hodie in Imperio nostro Patria Potestas non minus personis illustribus quam privatis competit, de illius usu Jure Saxonico testatur, *P. 2. C. El. 10. Dec. El. 62.* ejusque Effectus civiles salvi esse creduntur, ubicunque Jus Civile receptum est, usque dum contrarium probetur.

II. Potestas Patria competit in Liberos ex Justis Nuptiis Procreatos. *PR. I. b.* Primi & Ulterioris Gradus. *§. III. J. b. j. L. 220. ff. d. V. S. (a) §. 3. I. h.* ex Masculis, non fœminis, descendentes. *d. §. III.* Nam qui ex fœminis nati sunt, Patris sui familiam sequuntur. *L. 196. §. 1. ff. d. V. S. (b)* Hodie Nepotes raro in Potestate Avi sunt.

III. Patria Potestas constituitur 1.) Nuptiis, 2.) Legitimatione, 3.) Adoptione. Nuptias præcedunt *Sponsalia*, i. e. Mentio, s. *oblatio*, Germ. die *Ehewerbung*, & Repromissio s. *Acceptatio* futurarum Nuptiarum, Germ. die *Zusage*. *l. 1. ff. d. Sponsal. j. l. 4. C. ead.* *Sponsalia* sunt vel publica, quæ coram Testibus duobus, *a. c. 1. 2. X. d. cland. desp. j. l. 12. ff. d. testib.* accedente Parentum, qui superstites sunt, consensu contrahuntur. *a. L. 7. §. 1. ff. d. Spons. (c) j. l. 2. ff. d. R. N.*

(a) *Liberorum Appellatio omnes Descendentes complectitur. L. 220. ff. d. V. S.*

(b) *Liberi ex legitimis nuptiis nati Patris, non Matris, familiam sequuntur. L. 196. §. 1. ff. d. V. S.*

(c) *In Sponsalibus consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur. L. 7. §. 1. ff. d. Sponsal.*

vel

vel *Clandestina*, quæ *sine Testibus*, aut absque *Consensu Parentum*, contrahuntur. *c. 2. X. d. cland. desp. l. 7. §. 1. ff. d. Sponsal. sine Testibus contracta nullius momenti sunt JURE non Civili, l. 4. ff. eod. sed Canonico & SAXONICO. c. 3. X. d. cland. desp. Ord. Eccl. t. gener. von Ehe-Sachen, Spec. von Ehe-Gelöbnissen, pr. quæ J. Saxon. dispositio ad liberos Parentibus destitutos restringenda est. a. l. 14. ff. d. Sponsal. j. l. 16. ff. d. legibus. Ord. Matr. d. A. 1624. punct. 1. §. wo auch. ita resp. F. J. L. M. Mart. 706.*

IV. *Nuptie sunt Viri & Mulieris conjunctio*,
 §. 1. I. h. *individuam vitæ consuetudinem continens. §. I. J. b. Conjunctio intelligitur principaliter Animorum per consensum Matrimoniale, L. 30. ff. d. R. J. (d) per consequentiam corporum, l. 220. §. 3. ff. d. V. S. Individua dicitur voto magis quam eventu: Solvitur enim Matrimonium regulariter per mortem, l. 1. ff. d. divort. irregulariter quoad Consortium, & improprie per separationem a Mensa & Thoro. a. I. ad Cor. 7. v. 11. quoad vinculum Matrimonii & proprie per Divortium, quod fit hodie ex causa 1.) Adulterii. Matth. c. 19. v. 9. 2.) Malitiosæ desertionis. a. I. ad Cor. 7. v. 15. j. I. ad Tim. 5. v. 8.*

V. *Nuptie dividuntur in Publicas*, quæ publice in Cœtu Fidelium, accedente Copula sacerdotali, contrahuntur, *c. 3. X. d. cland. desp. c. 3. XXX. q. 5. & Clandestinas*, quæ extra Cœtum Fide-

(d) *Consensus facit nuptias, non concubitus. L. 30. ff. d. R. J.*

lium

lium & sine Copula Sacerdotali contrahuntur. Hæ sunt prohibitæ dd. cc. forma tamen Matrimonii non interna, sed externa, destituuntur. *a. l. 30. ff. d. R. j. c. 9. 12. X. qui fil. sunt leg.* unde ex eo liberi legitimis sponsalibus præcedentibus nati non habentur pro illegitimis. *Dec. El. 49.*

TIT. X.

De Nuptiis.

Qui possint nuptias contrahere.

Justas autem nuptias inter se *cives Romani* contrahunt, qui *secundum præcepta Legum* coeunt: masculi quidem *puberes*, fœminæ autem *viripotentes*, sive *patresfamilias* sint, sive *filiifamilias*: dum tamen, si *filiifamilias* sint, *consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt*. Nam hoc fieri debere, & *civilis & naturalis ratio* suadet: in tantum, ut *jussus parentis* præcedere debeat. Unde quæsitum est, an *furiosi filia* nubere, aut *furiosi filius* uxorem ducere possit? Cumque super filio variabatur: nostra processit decisio, qua *permissum est*, * *v. l. 25.* ad exemplum *filix furiosi*, *filium quoque furiosi* C. *b. l. 28.* posse & sine patris interventu matrimonium sibi C. *de Episc. aud.* copulare, *secundum datum ex nostra Constitutione* modum.

*Quæ uxores duci possint vel non. De cognatis:
ac r. de parentibus & liberis.*

i. Ergo non omnes nobis uxores ducere licet: nam a quarundam nuptiis abstinendum est. „Inter „eas enim personas, quæ parentum liberorumve lo- „cum inter se obtinent, contrahi nuptiæ non pos- „sunt, : veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, vel matrem & filium, vel aviam & nepotem, & usque in infinitum. Et si tales personæ
inter

inter se coierint, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicuntur. Et hæc adeo vera sunt, ut quamvis per adoptionem parentum liberorumve loco sibi esse cœperint, non possint inter se matrimonio jungi; in tantum, ut etiam dissoluta adoptione idem juris maneat. Itaque eam, quæ tibi per adoptionem filia, vel neptis esse cœperit, non poteris uxorem ducere, quamvis eam emancipaveris.

2. De fratribus & sororibus.

2. Inter eas quoque personas, quæ ex transverso gradu cognationis junguntur, est quædam similis observatio, sed non tanta. „Sane enim inter fratrem sororemque nuptiæ prohibitæ sunt, : sive ab eodem patre eademque matre nati fuerint, sive ex alterutro eorum. Sed si qua per adoptionem foror tibi esse cœperit : quamdiu quidem constat adoptio, sane inter te & eam nuptiæ consistere non possunt ; cum vero per emancipationem adoptio sit dissoluta, poteris eam uxorem ducere. Sed & si tu emancipatus fueris, nihil est impedimento nuptiis. Et ideo constat, si quis generum adoptare velit, debere eum antea filiam suam emancipare : & si quis velit nurum adoptare, debere eum antea filium suum emancipare.

Ex Cajo l. 17. ff. de ritu nupt.

3. De fratris vel sororis filia vel nepte.

3. Fratris vero vel sororis filiam, uxorem ducere non licet : sed nec neptem fratris, vel sororis quis ducere potest, quamvis quarto gradu sint. Cujus enim filiam uxorem ducere non licet, neque ejus neptem permittitur. Ejus vero mulieris, quam pater tuus adoptavit, filiam non videris impediri uxorem ducere : quia neque naturali, neque civili jure, tibi conjungitur.

4. De

4. De consobrinis.

4. Duorum autem fratrum, vel sororum liberi, vel fratris & sororis, conjungi possunt.

5. De amita, matertera, amita magna, matertera magna.

5. Item amitam, licet adoptivam, ducere uxorem non licet; item nec materteram: quia parentum loco habentur. Qua ratione verum est, magnam quoque amitam, & materteram magnam prohiberi uxorem ducere.

De affinibus, & primum de privigna vel nuru.

6. Affinitatis quoque veneratione a quarundam nuptiis abstinere necesse est: ut ecce privignam, aut nurum uxorem ducere non licet: quia utraque filiae loco sunt. Quod ita scilicet accipi debet, si fuit nurus, aut privigna tua. Nam si adhuc nurus tua est, id est, si adhuc nupta est filio tuo, alia ratione uxorem eam ducere non poteris: quia eadem duobus nupta esse non potest. Item si adhuc privigna tua est, id est, si mater ejus tibi nupta est, ideo eam uxorem ducere non poteris: quia duas uxores eodem tempore habere non licet.

De socru & noverca.

7. Socrum quoque, & novercam prohibitum est uxorem ducere: quia matris loco sunt. Quod & ipsam dissoluta demum affinitate procedit. Alioquin si adhuc noverca est, id est, si adhuc patri tuo nupta est, communi jure impeditur tibi nubere: quia eadem duobus nupta esse non potest. Item si adhuc socrus est, id est, si adhuc filia ejus tibi nupta est, ideo impediuntur tibi nuptiae: quia duas uxores habere non potes.

De comprivignis.

8. Mariti tamen filius ex alia uxore, & uxoris filia

Ex Papin.
l. 34. §. 2.
de risu
nupt.



filia ex alio marito, vel contra, matrimonium recte contrahunt; licet habeant fratrem sororemve ex matrimonio postea contracto natos.

De quasi privigna, quasi nuru, & quasi noverca.

Ex Ulp.
l. 12. §. 2.
de ritu
nupt.

9. Si uxor tua post divortium ex alio filiam procreaverit, hæc non est quidem privigna tua; sed Julianus ab hujusmodi nuptiis abstinere debere ait. Nam constat, nec sponsam filii nurum esse, nec patris sponsam novercam esse; rectius tamen, & jure facturos eos, qui ab hujusmodi nuptiis abstinerint.

De servili cognatione.

Ex l. 14.
§. 2. cod.
tit.

10. Illud certum est, serviles quoque cognationes impedimento nuptiis esse: si forte pater & filia, aut frater & soror, manumissi fuerint.

De reliquis prohibitionibus.

11. Sunt & aliæ personæ, quæ propter diversas rationes nuptias contrahere prohibentur, quas in libris Digestorum seu Pandectarum, ex Jure veteri collectarum, enumerari permisimus.

De pœnis injustarum nuptiarum.

12. Si adversus ea, quæ diximus, aliqui coierint: nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur. Itaque ii, qui ex eo coitu nascuntur, in potestate patris non sunt; sed tales sunt, (quantum ad patriam potestatem pertinet,) quales sunt ii, quos mater vulgo concepit. Nam nec hi patrem habere intelliguntur, cum & iis pater incertus sit. Unde solent *Spurii* appellari, vel a græca voce, quasi *σποράδην* concepti, vel quasi sine patre filii. Sequitur ergo, ut dissoluto tali coitu, nec dotis exactioni locus sit. Qui autem prohibitas nuptias contrahunt, & alias pœnas patiuntur, quæ sacris Constitutionibus continentur.

De

De legitimatione.

13. Aliquando autem evenit, ut liberi, qui statim, ut nati sunt, in potestate parentum non sunt, postea redigantur in potestatem parentum; qualis est is, qui dum naturalis fuerat, postea curiæ datus, potestati patris subjicitur, nec non is, qui a muliere libera procreatus, cujus matrimonium minime Legibus interdictum fuerat, sed ad quam pater consuetudinem habuerat, postea ex nostra constitutione dotalibus instrumentis compositis, in potestate patris efficitur. Quod aliis liberis si ex eodem matrimonio fuerint procreati, similiter nostra Constitutio præbuit.

I.

Nuptiæ dividuntur 2.) in *Injustas*, quæ *Jure prohibente* contrahuntur, *PR. J. h. & Justas*, quæ *Jure permittente* contrahuntur. *PR. J. h. Ad justas requiritur*, ut contrahentes sint
 1. *Cives Romani*; *PR. J. h.* Excluduntur itaque *Pr. I. h.*
 i.) *Servi*: *d. PR. J. l. 3. C. d. incest. & inut. nupt.*
 at non *Jur. Can. c. 1. X d. Conjug. Serv. & hodierno.*
 2.) *Peregrini*: *a. d. PR. Hodie* in Imperio non tam spectatur *Regio*, quam tolerata *Religio*. *J. P. O. & M. art. 7.*
 2. *Masculi Puberes*, *foemina viripotentes*. *PR. J. h.* *Æstimatur autem Pubertas* (*minus plena sc.*) in *foeminis* ex 12. in *Masculis* ex 14. *Anno completo. a. l. 4. ff. d. R. N. j. P. 4. C. El. 31 Pr. J. quib. mod. tut. fin.*
Hodie an *naturæ vis* suppleat *ætatem* respicitur, *c. 9. X. de despons. impub.* & in *Masculis* *facultas alendi familiam* desideratur, *iisdemque* ante *annum* 18. *ætatis Uxorem ducere* haud facile *per-*
 D mitti-

mittitur. 3. Coniungi non prohibiti & consentientes plene; adeoque exigitur *Consensus*. I.) *Parentum Jure Naturali* sub nota impietatis. *Jure Civili* sub poena Nullitatis, ob Patriam Potestatem, *PR. J. b. L. 4. ff. d. R. J. (a) l. 2. j. l. 25. ff. d. R. N* nec interest *sive* *Consensus* sit *præcedens s. concomitans*. *l. 5. C. d. Nupt. Jure Sax. El.* etiam in matre, (quam sententiam pro recepta usu Germaniæ apud Evangelicos habuit *F. J. L. M. Jan. 704. M. Dec. 709. Oct. 711.*) & Patre nec non Matre deficiente, *Avi Aviaque Consensus* intercedere debet, v. *Ehe-Ordnung t. von Ehe-gelöbnissen. pr. j. L. 4. ff. d. curat. fur. (b)* relicta Parentibus licentia exheredandi Liberos Matrimonium ipsis invitis consummantes. *d. t. §. Und da. d. t. §. würden.* Quando autem furore Pater laborat, aut mente captus est, Patria quidem Potestate ejusdemque Effectibus nonnullis e.g. Usufructu in Adventitiis Regularibus, gaudet, Arbitrio tamen Magistratus & Curatoris furiosi menteve capti Nobiliorumque de familia Consilio, *Consensus nuptialis præstandus est. PR. J. b. j. l. 25. C. de Nupt. L. 40. ff. d. R. J. (c) II.) Liberos Consensus* requiritur, *PR. J. b.* in quo interponendo *Intellectui*

(a) *Velle non creditur, qui obsequitur Imperio Patris vel Domini. L. 4. ff. d. R. J.*

(b) *Pietas Parentibus, etsi inæqualis est eorum potestas, æqua debetur. L. 4. ff. d. cur. furios.*

(c) *Furiosi, vel ejus cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est. L. 40. ff. d. R. J.*

obest


obest *Error Essentialis*, e.g. in Persona, *a. l. 9. ff. d. contrah. emt.* vel qualitate essentiali, ut Virginitate, cum ex alio Fœmina prægnans est, *a. c. 26. X. d. Spons. l. 11. §. 5. ff. d. act. emt. j. L. 15. ff. de Jurid. (d)* non vero accidentalis, e. g. in Divitiis, Forma, Moribus. *Voluntati* obest *Metus* justus: nam omnino libera contrahentium Voluntas esse debet in individuum hanc vitæ societatem. *l. 12. l. 14. C. d. Nupt. c. 14. 15. X. d. spons. j. L. 116. ff. d. R. J. (e)*



II. Propinquitatis personarum indaganda per *Computationem Graduum*, quæ est investigatio, *quoto gradu* a se invicem personæ in Consanguinitate vel Affinitate distent. *Computatio* dividitur in *Civilem & Canonicam*. *Civilis* perficitur secundum *Regulas Juris Civilis. §. 7. J. d. grad. l. 10. ff. eod.* Hæc obtinet in Successionibus, Tutelis, Furtis &c. *Const. El. Nov. 6.* *Computatio Canonica* suscipitur secundum *Regulas Juris Canonici. v. Declaratio Arboris Consanguinitatis & Affinitatis*, quæ est in Jure Canonico post *can. 6. XXXV. q. 5.* Hæc locum habet in Matrimoniiis, *conf. Ord. Eccl. Sax. El. t. gen. von Ehe. Sachen, spec. welchen Personen sich in Ehegelöbniß mit einander einzulassen verbotzen, & crimine incestus. P. 4. C. El. 22. 23. 24.*


III. Præmittenda autem Explicatio Terminorum: 1.) *Cognatio s. Consanguinitas*, Sax. die Ma-


(d) *Non consentiunt, qui errant. L. 15. ff. d. Jurisd.*


(e) *Nihil Consensui tam contrarium est, quam vis, atque metus. L. 116. ff. d. R. J.*



genschafft, est vinculum personarum, ab eodem
Stipite propinquo *descendentium*, carnali pro-
 pagatione contractum. *a. l. 10 §. 1. 2. 4. ff. d.*
grad. l. 23. ff. d. adopt. j. l. 4. §. 2. ff. d. grad. Hæc
 Confanguinitas dispescitur in *Cognitionem in*
specie dictam, & *Agnationem*. *Cognatio* in spe-
 cie sic dicta constituitur *carnali propagatione*
 sive per foeminam, §. 1. *J. d. leg. agn. tut.* sive per
 Masculum lineæ maternæ, aut lineæ paternæ,
 qui minimam capitis deminutionem passus est,
l. 4. §. 10 ff. d. grad. §. 3. J. d. cap. demin. COGNA-
 TI appellantur SAX. *Spiel. Magen.* *Agnatio* con-
 stituitur per *lineæ paternæ* personam Masculini
 sexus, quæ minimam capitis deminutionem pas-
 sa non est. §. 1. *J. d. leg. agn. tut. j. §. 3. J. d. cap.*
dem. AGNATI SAX. dicuntur *Schwerd. Ma-*
gen, quorum jus agnationis nec emancipatione,
 nec Institutione peculiaris Oeconomix, perit. *a.*
M. l. 1. a. 23. Torg. Ausschreib. d. A. 1583. t. wels-
chergestalt die Agnaten. §. Diweil dann, j. l. 195. §.
2. ff. d. V. S. 2.) *Affinitas* est *Conjunctio per Con-*
cubitum cum alterius concumbentis *Consan-*
guineo vel *Affine* contracta, *a. c. 5. 8. X. d.*
Consangu. & affin. j. l. 15. ff. d. R. N. eaque vel
generis primi, & contrahitur per *Concubitum*
 cum alterius *Conjugis Mariti, Uxoris*, aut illici-
 te concumbentis, *Consanguineo*, e.g. cum *Fratris*
 mei *Uxore* ; vel *generis secundi*, & con-
 trahitur per *concubitum* cum alterius *conjugis*
affine in primo genere tali, v. g. cum *fratris mei*
 viduæ

viduæ secundo Marito;  vel *generis tertii*, & contrahitur per Concubitum cum alterius conjugis &c. *affine in secundo genere* tali, e. g. cum Fratris mei Viduæ secundi Mariti secunda Uxore  *fac. c. 8. X. d. consangu. & affin. l. 15. ff. d. R. N.* Hodie non quidem in tertio, in secundo tamen affinitatis genere, cum concurrit Parentalis respectus, *a. l. 15. ff. d. R. N.* obtinet Matrimonii prohibitio, & in *Saxonia*, quamvis Parentum & Liberorum Respectus cesset, veluti cum defunctæ Uxoris

Fratris Vidua . Hoc loco excludendi sunt ab Affinibus qui tales proprie non sunt: veluti Consanguinei uxoris & mariti, male iis accensiti, *a. §. 8. J. d. nupt. c. 5. X. de consang. & affinitate.* e. g. Vitrici Pater & Avus *in C. S. p. 121. 3.) Communis Stipes* est persona, quam ii, de quorum conjunctione quæritur, pro *communi Parente* agnoscunt. *a. c. f. X. d. consang. & affin.*

 4) *Parentalis Respectus* intercedit, quoties altera Persona, de cujus conjunctione quæritur, *Communi Stipiti immediate subest*, & altera ab eodem *remotior* est. *a. l. 39. ff. d. R.*

N. §. V. J. b.  5.) *Linea* est series personarum inter se junctarum, *Gradus* continens & *Numero* discernens. *Linea* dividitur in *rectam* & *obliquam*. *Recta* est in qua sunt *Ascendentes* & *Descendentes*, eaque dicitur

superior s. ascendens, quando a generato ad generantem ascendimus, *inferior s. descendens*, quando a generante ad generatum descendimus. *a. l. 1. l. 9. d. grad.* *Linea obliqua, sive collateralis*, quam quoque transversalem appellant, Personas *a latere junctas* continet, & est vel *equalis*, in qua sunt personæ *Pari Gradu* a Comuni stirpite distantes,  vel *inequalis*, in qua sunt personæ *impari Gradu* a communi stirpite distantes.  6.) *Gradus* est *Distantia* unius *Personæ* ab altera per *Generationem* constituta. §. 7. *J. d. grad.* Gradus sunt in *Consanguinitate* proprie. *d. §. l. 10. §. 10. ff. cod.*

IV. *Computatio Graduum* fit juxta *Regulas*, quæ sunt vel in *Consanguinitate* vel in *Affinitate*. In *Consanguinitate* *Regula* est *Juris Civilis*: *Quot sunt Generationes, tot sunt Gradus* §. 7. *J. d. grad.* Cum qua in *Effectu* conspirat *Regula* *Juris Canonici* in *Linea recta*.


V. *Jure Civili* in *Linea collateralis*, utrumque *latus*, *Canonico* unum saltem *computatur*, & quidem in *Linea equali* alterutrum, in *inequali* remotius.

VI. In *Affinitate* obtinet eadem *Computatio*, quæ in *Consanguinitate*; atque in ea sunt *Gradus improprie* sic dicti. *l. 10. pr. l. 4. §. 3. ff. d. grad.* juxta *Regulam*: *Quocumque Gradu* quis est

est Consanguinitate junctus Conjugi uni, eodem est Affinis alteri, cujuscunque generis sit Affinitas.


VII. Prohibitio Graduum Generalis est in Linea recta in infinitum: Lev. c. 18. v. 6. 7. 10. j. 8. 15. 17 §. I. f. b. In Linea collateralī inter Fratres §. 1. I. h. & Sorores quascunque, d. c. 18. v. 9. 16. j. c. §. 2. I. h. 20. v. 17. 21. §. II. f. b. easque Personas, quæ sibi invicem sunt Parentum & liberorum loco, illicitæ sunt Nuptiæ. d. c. 18. v. 12. 13. 14. §. III. & V. f. b. v. N. 9. §. 3. 5. I. h. Ubi notanda Regula 1.) quod eadem sit in Affinitate, quæ in Consanguinitate Graduum Prohibitio. §. VI. VII. f. b. j. l. 13. C. d. incest. & §. 6. 7. I. h. inutil. nupt. 2.) quod in Gradibus Jure divino Universalī prohibitis Princeps dispensare nequeat, sed in Prohibitione Juris humani secus est.

VIII. Prohibitio Graduum Particularis obtinet in Linea collateralī, deficiente parentali Respectu, & quidem Jure Canonico usque ad gradum quartum inclusive; c. 8. X. de Consang. & Affin. Unde permissum est Matrimonium cum Propatruī s. Patruī Majoris Abnepote: Jure Saxonico usque ad Gradum tertium inæqualem inclusive, v. Ord. Eccl. Sax. t. gen. von Ehe. Sachen. spec. welchen Personen sich mit einander in Ehe gelöbniß einzulassen verboten. C. S. p. 273. seq. Itaque legitimum est Matrimonium inter Conso-

brinorum liberos  Jure Civili inter adoptivos Parentes & Liberos, nec non Fratres

& Sorores; nisi, postremo casu, vinculum Potestatis Patriæ sit emancipatione ruptum. §. I. §. II. *J. b. Jure hodierno* in universum Prohibitio adoptivorum Principis Dispensatione sit dissoluta.

IX. Inter Consobrinos prohibitæ non sunt
§. 4. I. h. *J. Civ. nuptiæ. §. IV. J. b.* Etiam inter Compri-

vignos  *zusammen gebrachten Kindern*, nulla est Affinitas, adeoque nec ulla Matrimonii Prohibitio. §. VIII. *J. b. C. 5. X. d. Conf. & Affin. (f) ita pron. E. J. L. M. Mart. 717.*

X. *Jure Civili ob Honestatem v. L. 42. ff. d. R. N. (g)* prohibitum est Matrimonium cum 1.) *Quasi Privigna*, i. e. filia post divortium a quondam Uxore & novo Marito suscepta. §. IX. *J. b.*
§. 9. I. h. 2.) Cum *Quasi Noverca* s. Sponsa Patris, vel *Quasi Nuru* s. Sponsa filii; §. IX. *J. b. t. l. 12. §. 1. 2. ff. b.* nisi accesserit Dispensatio Principis, quæ, urgentibus circumstantiis, fit prævio Juramento purgatorio. 3.) Cum *Persona in Statu servili* vetitaque Cognatione constituta, §. X. *J. b. j. L. 14. §. 2. ff. d. R. N. (h)* quod in primis hodierno

(f) *Inter Consanguineos Uxoris & Viri nulla affinitas contrahitur. C. 5. X. de Consang. & Affin.*

(g) *Semper in Conjunctionibus non solum quid liceat, considerandum est, sed & quid honestum sit. L. 42. ff. d. R. N.*

(h) *In contrahendis matrimoniis Naturale Jus & pudor inspiciendus est. L. 14. §. 2. ff. d. R. N.*

Jure

Jure observandum, quo cum servo est Matrimonium. c. 1. X. d. conj. serv. Quoniam autem Homines proprii non sunt Servi, tanquam Liberi, Jure Connubiorum gaudent.

XI. *Jure Civili ob civilem rationem. §. XI. §. II. I. h. h. prohibebatur jungi 1.) Senator Libertinae, l. 23. ff. d. R. N. Postea vero Dignitatis Imparitas Impedimento Nuptiis esse desit. l. 23. §. 7. & Auth. maximis. C. de Nupt. 2.) Praeses Provinciae Provinciali, l. 38. ff. d. R. N. j. l. un. C. si quaecunque preced. potest. quod hodie non solet attendi. 3.) Tutor vel Curator quondam Pupillae, adultæve, l. 66. l. 59. ff. d. R. N. l. 7. C. d. interd. matrim. int. pup. quod hodie redditis rationibus permittitur.*

XII. *Injuste Nuptiae puniuntur 1.) Nullitate earum; a. l. 5. C. d. leg. Unde Effectu destituuntur. C. 52. d. R. §. 6. (i) & neque Jus Viri & Uxoris, Dotis Donationisve propter Nuptias, neque Patriam Potestatem tribuunt. §. XII. §. b. j. L. 5. §. 12. I. h. ff. d. in jus voc. (k) 2.) Dissolutione Conjunctionis, quoties contra Jus divinum universale sunt constitutæ, ceu dictum in Prohibitione Juris divini. 3.) Coercitione, & quidem Jure Civili poena est in Incestu Juris Gentium, 1. Privatio Dignitatis s. Cinguli. 2. Exilium, cui accedit, si delinquens vilis sit, Corporis Verbera-*

(i) *Quod nullum est, nullum habet effectum. a. C. 52. d. R. §. 6.*

(k) *Pater est quem nuptiae demonstrant. L. 5. ff. d. in jus vocand.*

tio. Nov. 12. c. 1. j. O. C. a. 117. *Incestus Juris Civilis punitur arbitrarie, a. l. 11. §. 1. ff. ad L. Jul. d. Adult. j. l. 5. ff. d. pæn.* JURE SAXONICO ELECTORALI, *Incestus punitur in Linea recta Consanguinitatis, in Fœmina Viroque regulariter Gladio: P. 4. C. El. 22.* Affinitatis autem, Fustigatione & perpetua Relegatione; P. 4. C. El. 24. In Linea collateralis, quoties Personæ in Consanguinitate Gradu primo vel secundo inæquali, aut in Affinitate Gradu primo æquali sibi invicem junguntur, Fustigatione cum perpetua Relegatione, alias mitius. P. 4. C. El. 22. §. f. ii. C. 24.

XIII. Patria Potestas constituitur 1. Nuptiis de quibus actum. 2. Legitimatione. 3. Adoptione. *Legitimatio est, qua Liberi naturales (hodie §. 13. I. h. etiam Spurii) legitimi efficiuntur. a. §. XIII. f. b. Concubinatus, ex quo naturales Liberi nascuntur, Auth licet. C. de Natural. lib. Jure Imperii est prohibitus sub arbitraria Pœna. R. J. d. A. 1530. t. 33. it. Sax. El. Ord. Prov. d. A. 1550. t. von verdächtigen und leichtfertigen Weibes-Personen.*

XIV. *Legitimatio contingit per 1.) Oblationem Curie, d. §. XIII. quæ hodie recessit ab Usu. 2.) Subsequens Matrimonium, quando Pater Liberos suos naturales consentientes, Matrem eorum, Concubinam suam, in Uxorem ducendo, legitimos facit. N. 98. c. 8. 11. Hæc olim fiebat plerumque intercedentibus dotalibus Instrumentis: §. XIII. f. b. j. l. 5. C. d. nat. lib. l. 11. C. d. repud. l. 30. ff. d. R. J. Hodie ex Copula sacerdotali*

dotali de Affectu conjugali constat. Atque illa tribuit retro Jura naturalium & legitimorum liberorum. *Nov. 89. c. 8.* 3.) *Rescriptum Principis*, hæc est Actus, quo *Filii naturales* (hodie etiam *Spurii*) *non dissentientes. a. N. 89. c. 11. j. l. 29. C. d. Pact.* per Rescriptum Principis legitimi fiunt. *N. 89. c. 9.* Ea desiderat *Jure Civili*, ut liberi legitimi deficiant & Mater, quæ duci possit. *N. 89. c. 9. (l) Hodierno* non item. Hæc fit *moderno Jure* nostri Imperii *vel immediate per Imperatorem* universaliter in Imperio, per *Dominum Territorii* in suo Territorio, vel *mediate* per Comites Palatinos. Ista efficit ex Tempore Legitimationis legitimos. *N. 89. c. 9.*

TIT. XI.

*De Adoptionibus.**Continuatio.*

Non solum autem naturales liberi, secundum ea, quæ diximus, in potestate nostra sunt; verum etiam ii, quos adoptamus.

Divisio adoptionis.

I. Adoptio autem duobus modis fit: aut *Principali Rescripto*, aut *imperio magistratus*. Imperatoris auctoritate adoptare quis potest eos, easve, qui, quæve sui juris sunt. Quæ species adoptionis dicitur *Adrogatio*. Imperio magistratus adoptamus eos, easve, qui, quæve in potestate parentum sunt: sive primum gradum liberorum obtineant, qualis

(1) *Liberi per subsequens matrimonium legitimated equali jure cum Liberis ab initio legitime natis utuntur. Nov. 89. c. 8.*

est

est filius, filia; five inferiorem, qualis est nepos, neptis, pronepos, proneptis.

Qui possint adoptare filium familias, vel non.

* v. L. pen.
C. b. r.

2. Sed hodie ex nostra constitutione, cum filius familias a patre naturali extraneæ personæ in adoptionem datur, jura potestatis patris naturalis minime dissolvuntur, nec quicquam ad patrem adoptivum transit, nec in potestate ejus est: licet ab intestato jura successionis ei a nobis tributa sint. Si vero pater naturalis non extraneo, sed avo filii sui materno, vel, si ipse pater naturalis fuerit emancipatus, etiam avo vel proavo simili modo paterno vel materno filium suum dederit in adoptionem: in hoc casu, quia concurrunt in unam personam & naturalia, & adoptionis jura, manet stabile jus patris adoptivi & naturali vinculo copulatum, & legitimo adoptionis modo constitutum, ut & in familia & in potestate hujusmodi patris adoptivi sit.

De adrogatione impuberis ejusque requisitis, tum quoad constitutionem, tum quoad dissolutionem.

3. Cum autem impubes per principale rescriptum adrogatur, 1. *causa cognita* adrogatio fieri permittitur: & requiritur causa adrogationis, an honesta sit expediatque pupillo: & cum quibusdam conditionibus adrogatio fit: id est, ut 2. *caveat* adrogator personæ publicæ, hoc est tabulario, si intra pubertatem pupillus decesserit, restitutum se bona illis, qui, si adoptatio facta non esset, ad successionem ejus venturi essent. Item non aliter emancipare eum potest adrogator, nisi, (1) *causa cognita*, dignus emancipatione fuerit: & tunc *sua bona ei* (2) *reddat*. Sed & si decedens pater eum exheredaverit, vel vivus sine justa causa emancipaverit: jubetur (3) *quartam partem* ei bonorum suorum relinquere, videlicet, præter bona, quæ ad
patrem

patrem adoptivum transtulit, & quorum commodum ei postea adquisivit.

De etate adoptantis & adoptati.

4. Minorem natu majorem non posse adoptare placet. „Adoptio enim naturam imitatur:“, & pro monstro est, ut major sit filius, quam pater. Debet itaque is, qui sibi filium per adoptionem, vel adrogationem facit, plena pubertate, id est, decem & octo annis præcedere.

De adoptione in locum nepotis, vel neptis, vel deinceps.

5. Licet autem & in locum nepotis, vel neptis, pronepotis, vel proneptis, vel deinceps, adoptare, quamvis filium quis non habeat. *Ex Paulo l. 37. & 43. ff. hoc tit.*

De adoptione filii alieni in locum nepotis, vel nepotis in locum filii.

6. Et tam filium alienum quis in locum nepotis adoptare potest, quam nepotem in locum filii.

De adoptione in locum nepotis, & de nepote, in adoptionem dando.

7. Sed si quis nepotis loco adoptet, vel quasi ex eo filio, quem habet jam adoptatum, vel quasi ex illo, quem naturalem in sua potestate habet: eo casu & filius consentire debet: ne ei invito suus heres adnascatur. Sed ex contrario, si avus ex filio nepotem det in adoptionem: non est necesse filium consentire. *Ex Paulo l. 6. & 11. ff. hoc tit.*

Qui dari possunt in adoptionem.

8. In plurimis autem causis adsimilatur is, qui adoptatus, vel adrogatus est, ei, qui ex legitimo matrimonio natus est. Et ideo si quis per Imperatorem, vel apud Prætorem, vel Præsidem provinciæ non extraneum adoptaverit: potest eundem in adoptionem alii dare.

Si



Si is, quis generare non potest, adoptet.

*Ex Cajo l.
2. §. 1. ff.
b. 2.*

9. Sed & illud utriusque adoptionis commune est, quod & ii qui generare non possunt, quales sunt spadones, adoptare possunt: *castrati* autem non possunt.

Si femina adoptet.

10. *Femina* quoque adoptare non possunt: quia nec naturales liberos in sua potestate habent: sed ex indulgentia Principis ad solatium liberorum amissorum adoptare possunt.

De liberis arrogati.

*Ex Cajo l.
2. §. 2. ff.
b. 2.*

11. Illud proprium est adoptionis illius, quæ per sacrum oraculum fit; quod is, qui liberos in potestate habet, si se adrogandum dederit, non solum ipse potestati adrogatoris subjicitur, sed etiam liberi ejus in ejusdem fiunt potestate, tanquam nepotes. Sic etenim Divus Augustus non ante Tiberium adoptavit, quam is Germanicum adoptasset: ut protinus adoptione facta inciperet Germanicus Augusti nepos esse.

De servo adoptato, vel filio nominato a domino.

** L. un. §.
similique
modo C. de
Lat. lib.
coll.*

12. Apud Catonem bene scriptum refert antiquitas: servos, si a domino adoptati sint, ex hoc ipso posse liberari. Unde & nos eruditi, in nostra Constitutione etiam eum servum, quem dominus actis intervenientibus filium suum nominaverit, liberum esse constituimus: licet hoc ad jus filii accipiendum ei non sufficiat.

I.

Post Legitimationem agendum de *Adoptione*,
eaque die *Aufnehmung an Kindes statt*, est
Actus legitimus *l. 4 ff. d. adopt.* quo *extranei*
(i.e. extra Familiam existentes) tanquam Liberi
assu-

assumuntur in Familiam. a. P. R. §. 2. J. b. L. 1. Pr. I. h.
ff. b. (a) l. 10. §. 10. C. eod. j. §. 1. J. b. Illa hodie
infrequens, non tamen abrogata est.

II. *Adoptio* dividitur in *Adoptionem in specie*
& *Arrogationem*. *Adoptio in specie* sic dicta est,
qua *Filius familias* auctoritate Magistratus ad-
optatur, §. I. J. b. sive fit primi sive ulterioris §. 1. I. h.
Gradus. d. §. Atque hæc est vel *plena*, quæ fit ab
aliquo Ascendentium, & operatur Patriam Pote-
statem, §. II. J. b. (b) vel *minus plena*, quæ §. 2. I. h.
fit ab *Extraneo*, & non operatur Patriam Pote-
statem, sed filio tribuit Jus succedendi ab inte-
stato. d. §. II. *Arrogatio* est, qua *Pater fami-
lias* accedente Principis Rescripto, adoptatur.
§. I. J. b. Hodie sufficit etiam Rescriptum Do-
mini Territorii.

III. Quando fit *Impuberis Arrogatio*, exigi-
tur I. in *Constitutione* 1.) *Cognitio justæ Causæ*.
2.) *Cautio Personæ publicæ præstanda* de resti-
tuendis *Arrogati Bonis* ab intestato eidem suc-
cessuris, si *Arrogatus impubes* decesserit, §. III. §. 3. I. h.
J. b. j. L. 206. ff. d. R. J. (c) etiam *hodie*. II.
In Dissolutione per Emancipationem 1.) *Justæ
Causæ Cognitio*. 2.) *Bonorum illatorum eo-
rumque*, quorum commodum Patri *Arrogatori*
postea acquisivit, *Restitutio*. Quodsi *injusta*

(a) *Fictio idem operatur, quod veritas*. a. L. 1. ff. d. adopt.

(b) *Duplex Vinculum fortius ligat quam unum*. a. §. 2.
J. b.

(c) *Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detri-
mento & injuria fieri locupletiores*. L. 206. ff. d.
R. J.

eman-

Emancipatio aut Exhæredatio facta fuerit, Arro-
gator quartam bonorum suorum partem Arro-
gato relinquere tenetur ex Constitutione Divi
Pii. *d. §. III. J. h. l. 8. §. 15. ff. d. inoff. test. l. f. ff. si
quid in fraud patron. j. L. 75. ff. d. R. J. (d)*

- IV. *Adoptio requirit Personas habiles quæ ad-
optant, quales sunt* 1.) plena Pubertate (sc. 18.
annis) adoptandum arrogandumve præceden-
tes cum Actus Judicium desideret. *§. IV. J. h. (e)
l. 40. §. 1. ff. cod. 2.)* Ad generandum idonei
Actu Potentiave: ut Spadones; *l. 39. §. 1. ff. d.
§. 9. I. h. jur. dot.* Excluduntur itaque Castrati *§. IX. J.
h. j. Nov. Leon. 26.* 3.) Patriæ potestatis capa-
ces; Arcentur itaque ab Adoptione Fœminæ, his
tamen adoptare permissum a Principe in Orbi-
tatis solatium, *§. X. J. h. (f) l. 5. C. eod.* atque
tum adoptatus fit Filius, non Filius familias, *d. §.
& Fœminæ adoptanti ab intestato succedit.*

- V. *Adoptari queunt* etiam qui fiant Nepotes
aut Pronepotes, *licet* 1.) Pater adoptivus filium
§. 5. I. h. non habeat, *§. V. J. h. dummodo eum per Natu-
ram habere possit. a. l. 30. ff. h. 2.)* Alienus Filius
§. 6. I. h. in locum Nepotis adoptetur, *§. VI. J. h. dum-
modo, cum Nepos quasi ex certo filio adoptatur,
filius consentiat, ne invito suus Hæres agnasca-
tur §. VII. J. h. j. l. 43. ff. eod.*

(d) *Nemo potest mutare Consilium suum in alterius in-
juriam. L. 75. ff. d. R. J.*

(e) *Adoptatio naturam imitatur & pro monstro est, ut
major sit filius quam Pater. §. 4. J. h.*

(f) *Fœminæ liberos in sua potestate non habent. §. 10.
J. h.*

VI. In

VI. In adoptionem dare potest 1.) Avus ex filio Nepotem, licet filius non consentiat. §. VII. *J. b. Hodie* id raro accidit. 2.) Pater filium, quem per Arrogationem vel plenam adoptionem talem fecit. §. VIII. *J. b.*

§. 8. I. h.

VII. Adoptio tribuit Patriam potestatem cum est Adoptio plena. §. 2. *J. b. a* Masculo facta §. X. *J. b.* Arrogatio autem etiam filios Arrogati in Potestate Arrogatoris, tanquam Nepotes, constituit. §. XI. *J. b. j. l. 40. ff. h. ceu resp. E. J. L. M.* §. II. I. h. *Jul. 705. ad Consult. C. C. Meyers.*

VIII. Adoptio pro Affini agnoscit ex Jure I. Civili Servi i. Adoptionem. 2. Nominationem filii a Domino apud Acta factam, utraque libertatem largitur. §. XII. *J. b. l. un. §. 10. C. d. latin.* §. 12. I. h. *lib. toll. j. L. 12. ff. de reb. dub. (g) II. Hodierno Unionem Prolium, die Einfindschafft, quæ est conventio legitima, qua Parentes liberos diversi matrimonii, quoad Jus succedendi Parentibus, exæquant.*

TIT. XII.

Quibus modis Jus Patriæ Potestatis solvitur.

Scopus & nexus. De morte.

Videamus nunc, quibus modis ii, qui alieno juri sunt subjecti, eo jure liberentur. Et quidem quemadmodum liberentur servi a potestate domini

(g) *Commodissimum est in ambiguis id accipi quo res, de qua agitur, magis valeat, quam pereat. L. 12. ff. d. Reb. dub.*

E

horum,

norum, ex iis intelligere possumus, quæ de servis manumittendis superius exposuimus. Hi vero, qui in potestate parentum sunt, mortuis iis, sui juris fiunt. Sed hoc distinctionem recipit. Nam mortuo patre, sane omnimodo filii filiæve sui juris efficiuntur: mortuo vero avo, non omnimodo nepotes neptesve sui juris fiunt; sed ita, si post mortem avi in potestatem patris sui recasuri non sunt. Itaque si moriente avo pater eorum vivit & in potestate patris sui est: tunc post obitum avi in potestate patris sui fiunt. Si vero is, quo tempore avus moritur, aut jam mortuus est, aut exiit de potestate patris; tunc ii, qui in potestatem ejus cadere non possunt, sui juris fiunt.

De deportatione.

1. Cum autem is, qui ob aliquod maleficium in insulam deportatur, civitatem amittit: sequitur, ut qui eo modo ex numero civium Romanorum tollitur, perinde ac si eo mortuo, desinant liberi in potestate ejus esse. Pari ratione & si is, qui in potestate parentis sit, in insulam deportatus fuerit, desinit esse in potestate parentis. Sed si ex indulgentia Principis restituti fuerint, per omnia pristinum statum recipiunt.

De relegatione.

2. Relegati autem patres in insulam, in potestate liberos retinent. Et ex contrario liberi relegati in potestate parentum remanent.

De servitute pœnæ.

3. Pœnæ servus effectus, filios in potestate habere desinit. Servi autem pœnæ efficiuntur, qui in metallum damnantur, & qui bestiis subjiciuntur.

De dignitate.

4. Filiusfamilias si militaverit, vel si Senator, vel Consul factus fuerit, remanet in potestate patris.

tris. Militia enim, vel consularis dignitas, de patris potestate filium non liberat. Sed ex* constitutione nostra summa Patriciatus dignitas illico, Imperialibus codicillis præstitis, filium a patria potestate liberat. Quis enim patiatur, patrem quidem posse per emancipationis modum potestatis suæ nexibus filium liberare; Imperatoriam autem celsitudinem non valere eum, quem sibi patrem elegit, ab aliena eximere potestate?

* v. l. ult.
C. de Con-
sulibus
Ec.

De captivitate & postliminio.

5. Si ab hostibus captus fuerit parens, quamvis servus hostium fiat, tamen pendet jus liberorum, propter jus postliminii: quia hi, qui ab hostibus capti sunt, si reversi fuerint, omnia pristina jura recipiunt. Idcirco reversus etiam liberos habebit in potestate: quia postliminium fingit eum, qui captus est, in civitate semper fuisse. Si vero ibi decesserit, exinde ex quo captus est pater, filius sui juris fuisse videtur. Ipse quoque filius neposve, si ab hostibus captus fuerit, similiter dicimus, propter jus postliminii, jus quoque potestatis parentis in suspenso esse. Dictum est autem postliminium a limine & post. Unde eum, qui ab hostibus captus in fines nostros postea pervenit, postliminio reversum recte dicimus. Nam limina, sicut in domo finem quendam faciunt; sic & imperii finem esse limen, veteres voluerunt. Hinc & limen dictum est, quasi finis quidam & terminus: ab eo postliminium dictum est, quia eodem limine revertebatur, quo amissus fuerat. Sed & qui captus victis hostibus recuperatur, postliminio rediisse existimatur.

Ex Tryph.
l. 12. §. 1.
ff. de capti-
vis, & post-
liminis.

Ex Flore
l. 26. de
capt.

*De emancipatione: & primum de modis emancipandi,
& effectibus emancipationis.*

6. Præterea emancipatione quoque desinunt liberi in potestate parentum esse. Sed emancipatio antea quidem vel per antiquam Legis observatio-



nem procedebat, quæ per imaginarias venditiones, & intercedentes manumissiones celebrabatur; vel ex imperiali Rescripto. Nostra autem providentia etiam hoc in melius per * Constitutionem reformavit: ut fictione pristina explosa, recta via ad competentes judices, vel magistratus, parentes intrent: & filios suos, vel filias, vel nepotes, vel neptes, ac deinceps, a sua manu dimitterent. Et tunc ex edicto Prætoris in bonis ejusmodi filii, vel filia, vel nepotis, vel neptis, qui, quæve a parente manumissus, vel manumissa fuerit, eadem jura præstantur parenti, quæ tribuuntur patrono in bonis liberti. Et præterea si impubes sit filius, vel filia, vel ceteri; ipse parens ex manumissione tutelam ejus nanciscitur.

* l. ult. C. d. emancip.

Si alii emancipentur, alii retineantur in potestate.

Ex Cajo l. 28. de adopt.

7. Admonendi autem sumus, liberum arbitrium esse ei, qui filium, & ex eo nepotem vel neptem in potestate habet, filium quidem de potestate dimittere, nepotem vero vel neptem retinere: & e converso filium quidem in potestate retinere, nepotem vero vel neptem manumittere: vel omnes sui juris efficere. Eadem & de pronepote & pronepte dicta esse intelligantur.

De Adoptione.

8. Sed & si pater filium, quem in potestate habet, avo vel proavo naturali, secundum nostras * Constitutiones super his habitas, in adoptionem dederit, id est, si hoc ipsum actis intervenientibus apud competentem judicem manifestaverit, præsentem eo, qui adoptatur, & non contradicente, nec non eo præsentem, qui adoptat: solvitur quidem jus potestatis patris naturalis: transit autem in hujusmodi parentem adoptivum, in cujus persona & adoptionem esse plenissimam antea diximus.

* v. l. pen. C. ult. C. de adopt.

De



De nepote nato post filium emancipatum, vel in adoptionem datum.

9. Illud autem scire oportet, quod si nurus tua ex filio tuo conceperit, & filium postea emancipaveris, vel in adoptionem dederis, prægante nuru tua; nihilominus quod ex ea nascitur, in potestate tua nascitur. Quod si post emancipationem, vel adoptionem conceptus fuerit: patris sui emancipati, vel avi adoptivi potestati subicitur.

Utrum parentes cogantur liberos suos de potestate dimittere.

10. Et quidem neque naturales liberi, neque adoptivi ullo pene modo possunt cogere parentes, de potestate sua eos dimittere.

I.

P*Atria potestas dissolvitur, I. Morte. II. Adoptione plena. III. Emancipatione. I.) Morte Naturali & Civili: naturali filii patrisve, cujus potestati filius subest, imo etiam Avi, quando in hujus potestate existit Nepos, nec in Patris sui potestatem recidit; PR. J. b. (a) j. L. 21. ff. ad Pr. I. h. L. Jul. d. adult. utputa, si Pater mortuus aut ab Avo Emancipatus est. Hodie Nepotes plerumque ab initio sunt in Potestate Patris sui. Morte Civili, quando intercedit Capitis deminutio vel Maxima, vel Media; Media, ut Patris filiive deportatione, §. I. J. b. qua Reus in certum locum defertur, ut in eodem amissa civitate, per*

§. I. I. h.

(a) *Qui in potestate parentis sunt, mortuo eo sui Juris fiunt. Pr. J. b.*

(b) *Qui in alterius potestate est, alios in eodem genere potestatis habere nequit. a. L. 21. ff. ad L. Jul. d. Adult.*

E 3

ma-



- maneat. *l. 6. l. 15. ff. d. interdict. & releg. & de port. Hodie Banno Imperii Jus Civitatis in Imperio amittitur. Ord. Camer. Part. 2. t. 9. §. 2.*
- Facta a Principe *Restitutione Gratiae* plena, §. I. *f. b.* tollitur deportatio: *ea* enim pristina Jura per omnia reddit. *L. f. §. f. C. de sentent. pass. (c)*
- In nostro Imperio restituit* adversus poenam ex Jure particulari aut Justiniano dependentem Dominus Territorii. *a. f. P. O. & M. art. 8. ceu resp. F. f. L. Mens. Jun. 1704. Maxima Capitis dem.*
- §. 3. I. h. contingit servitate poenae. §. III. *f. b.* Qua ad ultimum supplicium damnatus statim & Libertatem & Civitatem perdit ac poenae servus fit. *l. 29. ff. de poen.* Hæc servitus sublata est per *N. XXII. c. 8. (d)* Hodie ad mortem damnati regulariter neque Libertatis neque Civitatis jacturam patiuntur, adeoque ipsis etiam salva est Patria potestas: *a. P. 3. C. El. 6.* Fustigati autem & in perpetuum relegati nonnullibi jure Civitatis, in loco, quo sunt ejecti, excidunt. *v. Nov. 18. c. 5. (e)*
- II. Interim *Patria potestas non solvitur*: I.) *Relegatione* Patris filii: ista enim s. ad tempus s. in perpetuum facta, *l. 7. §. 3 ff. d. interd.* Jus
- §. 2. I. h. Civitatis non tollit. §. II. *f. b.* etiam hodie sic pron. *F. f. L. Mens. Jan. 703.* II.) *Dignitate filii*
- §. 4. I. h. e. g. Senatoria, *a. §. 4. f. b. Clericali. a. Auth.*

(c) *Plena Indulgentiæ Restitutio amissorum omnium est recuperatio. L. f. §. f. C. d. Sent. pass. & restit.*

(d) *Nemo ab initio benenatorum ex supplicio debet fieri servus. Nov. 22. c. 8.*

(e) *Sine Lege loqui erubescimus. Nov. 18. c. 5.*

sed

sed Episcopalis. C. d. Episcop. & Cler. Nov. 81. c. 3.
aut Doctorali. *d. §. IV. l. 7. C. d. Patr. pot. Ita*
pron. F. J. L. M. April. 716. Excipitur 1.) Sum-
ma Patriciatus Dignitas. §. IV. F. b. j. l. f. C. d.
Consul. Huic comparari potest Consiliarii, præ-
cipue Intimi, Officium ab Imperatore vel Statu
Imperii collatum. 2.) Quævis Dignitas a Curia
liberans; *N. LXXXI. c. 1. (f) j. l. f. C. d. Decur.*
ut Consularis, *d. c. 1.* (quod olim secus erat. *b. §.*
IV.) scilicet in Odiosis, non favorabilibus. *a. d.*
N. c. 2. j. c. 1. l. f. C. d. Decurion. III.) Capti-
vitate Patris filii, siquidem ea facit, ut Patria
Potestas sit in pendentibus. *§. V. F. b.* Ubi si capti §. 5. I. h.
ab hostibus revertantur, etiamsi victis hostibus
recuperentur, obtinet *Fictio Postliminii*, qua per-
sonæ & res ex hostium potestate reversæ pristinum
statum & jus recipiunt, ac si nunquam in
potestate hostium fuissent. *a. §. V. F. b. l. 16. l. 19.*
l. 2. §. 1. l. 20. §. 1. ff. d. capt. & postlim. revers.
Hodie idem ad eos, qui ab infidelibus capti fue-
runt & reversi sunt, applicare licet. Si capti ab
hostibus moriantur apud hostes, obtinet *fictio legis*
Corneliae, qua captivi censentur ipso captivi-
tatis momento decessisse; *a. §. V. F. b. l. 22. l. 18.*
d. capt. & postlim. Proinde Liberi statim sui ju-
ris effecti putantur. *d. §. V. Hodie de Captivis,*
qui apud Turcas &c. vitam finiunt, idem asse-
rendum erit.

III. *Patria potestas tollitur.* 1. *Morte*, de quo

(f) Omnis dignitas a Curia liberare valens etiam suæ
potestatis præmium honoratis præstat. N. 81. c. 1. §. 1.

dictum N. 1. 2. *Adoptione plena*, quæ fit consensu partium præsentium apud competentem Judicem, atque Potestatem Patriam in Patre finit & transfert in Ascendentem, qui Adoptionem facit. §. VIII. *J. b.* id quod *hodierno Jure* non mutatum *a. l. 27. C. d. testam.* 3. *Emancipatione*, quæ est vel *formalis*, vel *Virtualis*. *Formalis vel Legitima* f. Ex LL. XII. Tab. & inusitata est *hodie*, vel *Anastasiana*, qua, volente Patre, liberi consentientes per *Rescriptum Principis* apud competentem Judicem insinuatum a Patria Potestate dimittuntur. *Leg. 5. C. de Emanc. lib.* Hanc nondum esse abrogatam, resp. *F. J. L. Mens. Maj. 705. ad Consult. S. 30 S. vel Justiniana*, qua voluntate Parentum *liberi non dissentientes. a. l. 5. C. d. Emanc. lib.* apud competentem Judicem a Patria potestate dimittuntur. §. VI. *J. b. l. f. C. de Emanc. lib.* Hæc neque in Saxonia, neque in Imperio recessit ab *Usu*, cujus rei testis est Emancipatio in Camera Imperii facta a Comite de Löwenstein. A. 1587.

IV. *Emancipatio Virtualis* Modo Consuetudine vel Statutis recepto fit. Eaque CONTINGIT IN SAXONIA per 1.) Matrimonium filix, in Curam Mariti Legitimam concedentis. *a. pr. J. d. tut. j. R. l. i. a. 31. 45.* 2.) *Oeconomix peculiaris Institutionem*, *j. l. i. C. d. patr. pot. Nov. Leon, 25.* modo a filio filiave Majoreni facta sit. *P. 2. C. El. 10.*

V. Emancipatio fit libero arbitrio Patris, qui 1.) potest emancipare in potestate constitutum filium

Filium Nepotemve &c. vel utrumque §. VIII. f. §. 8. I. h. b. j. L. 21. C. mand. (g) 2) Habet in Potestate sua tam Filium, quam Nepotem ex eo durante Patria Potestate (non soluta eadem) conceptum. a. l. 7. §. 1. ff. d. Senat. (h) licet Filius postea emancipatus alterive in plenam adoptionem datus sit. §. IX. f. b. Hodie raro Filius Matrimonio §. 9. I. h. consummato est in Avi potestate; Ergo infrequenter Nepos in potestate Avi nascitur. d. §. f. f. d. Pat. pot. Pater vero invitus ad Emancipationem cogi nequit. §. X. f. b. j. L. 10. C. d. Do- §. 10. I. h. nat. (i)

TIT. XIII.

De Tutelis.

De personis sui juris.

TRanſeamus nunc ad aliam divisionem personarum. Nam ex his personis, quæ in potestate non sunt, quædam vel in tutela sunt, vel in curatione, quædam neutro jure tenentur. Videamus ergo de his, quæ in tutela, vel curatione sunt. Ita enim intelligemus ceteras personas, quæ neutro jure tenentur. Ac prius dispiciamus de his, quæ in tutela sunt.

Definitio tutela.

- I. Est autem TUTELA (ut Servius definivit) vis *Ex Paulo l. 1. ff. cod.*
 (g) *Suæ quisque rei liberrimus moderator & arbiter est.*
 L. 21. C. mand.
 (h) *In liberis tempus Conceptionis spectandum est, nisi favor eorum aliud postulat.* L. 7. §. 1. ff. d. Senat. j. l. 11. C. d. nat. lib.
 (i) *Nemo invitus donat.* L. 10. C. d. donat.

ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere nequit, Jure civili data ac permiffa.

Definitio & etymologia tutoris.

2. Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent, exque ipsa re nomen acceperunt. Itaque appellantur tutores, quasi tuitores atque defensores: sicut æditui dicuntur, qui ædes tuentur.

A quo & quibus testamento tutor datur, & primum de liberis in potestate.

Ex Caj. l. 1. ff. d. de testam. tut. 3. Permissum est itaque parentibus, liberis impuberibus, quos in potestate habent, testamento tutores dare. Et hoc in filios filiasque procedit omnimodo: nepotibus vero neptibusque ita demum parentes possunt testamento tutores dare, si post mortem eorum in potestatem patris sui non sunt recasuri. Itaque si filius tuus mortis tuæ tempore in potestate tua sit, nepotes ex eo non poterunt testamento tuo tutorem habere, quamvis in potestate tua fuerint: scil. quia mortuo te, in potestatem patris sui recasuri sunt.

De posthumis.

4. Cum autem in compluribus aliis causis posthumi pro jam natis habeantur, & in hac causa placuit, non minus posthumis, quam jam natis testamento tutores dari posse: si modo in ea causa sint, ut si vivis parentibus nascerentur, sui heredes, & in potestate eorum fierent.

De emancipatis.

Ex Modest. l. 1. ff. de confirm. tut. 5. Sed si emancipato filio tutor a patre datus fuerit testamento, confirmandus est ex sententia Præfidis omnimodo, id est, sine inquisitione.

I.

Tutela obtinet in hominibus sui juris in tutela constitutis, quibus opponuntur, qui in
cura

cura sunt, aut neutro Jure tenentur, i. e. neque tutelæ, neque curæ subjecti sunt. *PR. J. b.* Atque *Pr. I. h.*
 hæc *tutela* est vis atque *potestas in* capite libero, sive *Pupillo*, ad tuendum eum, qui per ætatem se ipse defendere nequit, Jure Civili data atque permessa, §. I. *J. b.* & incumbit Tutoribus, qui §. 1. *I. h.*
 a tuendo quasi Tutores atque Defensores appellantur. §. II. *J. b.* §. 2. *I. h.*

II. *Tutela* dividitur in *Testamentariam*, *Legitimam*, & *Dativam*. *Testamentaria* est vel *Confirmata*, vel *Absoluta*: *Confirmata* (*Juris sc. Civilis*) est, quæ recte Testamento non constituta a Magistratu secundum Mentem Testatoris confirmata est. *l. 1. §. 1. ff. d. confirm. tut.* Ita confirmatio Tutoris Emancipato Filio dati Testamento, sine inquisitione, fieri debet. §. *V. J. b.* §. 5. *I. h.*
 Cæterum *confirmata Tutela Curave moderni Juris Imperii* est, qua omnes Tutores, Curatoresve s. Testamentarii, s. Legitimi, s. Dativi, etiam sine defectu constituti, Decreto Magistratus confirmantur, antequam administrationem suscipiant. *R. J. d. A. 1577. t. 32. §. 2. j. O. P. S. t. 45. §.*
 Ob auch wohl.

III. *Tutela Testamentaria Absoluta s. simplex* est, quam Parens vi *Patriæ potestatis Liberis* suis *Impuberibus* Testamento constituit. §. III. §. 3. *I. h.*
J. b. l. 1. ff. d. Testam. Tut. Ea in Nepotibus, in potestatem Patris haud recasuris, Jure Civili quoque locum habuit. *d. §. Jure hodierno* instituta à filio peculiari œconomia non æque; *a. P. 2. C.*
El.

El. 10. Unde cum hoc casu avus nepoti suo tutorem dedisset testamento, non admissus est, sed eidem prælata mater tutrix *pron. F. J. L. M. Maj. 722.* Tutor hic Testamentarius constituitur quoque Posthumis, qui, si vivis Parentibus nascerentur, §. 4. I. h. sui hæredes & in potestate eorum fierent, §. IV. *J. b. etiam hodie. a. L. 7. ff. d. Stat. hom. (e)*

TIT. XIV.

*Qui Testamento Tutores dari possunt.**Qui tutores dari possunt.*

Dari autem tutor potest testamento non solum *paterfamilias*, sed etiam *filiusfamilias*.

De servo.

1. Sed & *servus* proprius testamento cum libertate recte tutor dari potest. Sed sciendum est, eum & sine libertate tutorem datum tacite libertatem directam accepisse videri, & per hoc recte tutorem esse. Plane si per errorem, quasi liber tutor datus sit, aliud dicendum est. *Ex Ulp. l. 10. §. 4. ff. d. testam. liber erit, utiliter datur.* *Proprius autem servus inutiliter eo modo tutor datur.*

De furioso & minore 25. annis.

2. Furiosus vel minor viginti quinque annis tutor testamento datus, tutor erit, cum compos mentis, aut major viginti quinque annis fuerit factus.

(a) *Qui in Utero est, pro jam nato habetur, cum de illius commodo agitur. L. 7. ff. d. Stat. hom.*

Quibus

Quibus modis tutores dantur.

3. Ad certum tempus, vel ex certo tempore vel sub conditione, vel ante heredis institutionem posse dari tutorem, non dubitatur.

Cui dantur.

4. Certæ autem rei vel causæ tutor dari non potest: quia *personæ*, non causæ, vel rei tutor datur. *Ex Ulp. l. 12. § Marc. l. 14. ff. d. test. tut.*

De tutore dato filiabus, vel filiis, vel liberis, vel nepotibus.

5. Si quis filiabus suis, vel filiis tutores dederit, etiam posthumæ, vel posthumo dedisse videtur: quia filii vel filiæ appellatione & posthumus & posthuma continentur. Quod si nepotes sint, an appellatione filiorum & ipsis tutores dati sint? Dicendum est, ut & ipsis quoque dati videantur, si modo liberos dixerit. Cæterum, si filios, non continebuntur. Aliter enim filii, aliter nepotes appellantur. Plane si posthumis dederit, tam filii posthumi, quam cæteri liberi continebuntur. *Ex Ulp. l. 5. § sequ. l. 16, eod.*

I.

Tutela testamentaria imponitur ad Tutelam gerendam *habilibus*, sive 1.) sint Patres f. Filiifam: *PR. J. b. nam Tutela est Munus Publicum; Pr. J. d. Excus. j. L. 9 ff. d. his qui sui vel alieni juris. (a) sive 2.) Liberi sint, sive fiant: ut servis propriis, a Domino data libertate una cum Tutela expresse taciteve, §. I. J. b. l. 9. C. d. §. 1. I. h. fideic. her. j. l. 43. d. manum. testam. vel alienis Conditione, cum liberi erunt, Testamento ex-*

(a) *Filiusfamilias in publicis causis pro Patrefam. habetur. L. 9. ff. d. his qui sui vel al. jur.*

pressa

pressa, §. I. *J. b.* vel subintellecta, *d. §. a. l. 10. §. f. ff. d. Testam. tut.* quæ conditio Servo proprio inutiliter adjicitur. *d. §. j. l. 21. l. 22. ff. d. cond. Inst. 3.*) sive Tutores habiles sint ab initio, ex postfacto: ut Furiosis si compotes mentis, vel

§. 2. I. h. Minores, si Majores facti fuerint. §. II. *J. b. 4.*) sive Pure, s. sub conditione, sive ex certo tempore, s. ad certum tempus. §. III. *J. b. 5.*) sive post ante hæredis institutionem §. III. *J. b. §. 34. J. d. leg.*

II. Tutela testamentaria *versatur circa Personam* Pupilli principaliter, circa bona minus Principaliter: Cura vero Rei primario constituitur. §. IV. *J. b. (b)* Secundario Personæ. *a. l. 8. C. d. nupt. l. 3. C. d. in integr. rest.* Personæ datur Tutor, Rei Curator, etiam *hodie* regulariter. At vocabulum Germ. *Wormund*, Tutorem & Curatorem exprimit.

§. 4. I. h.

III. Tutela testamentaria *explicatur*, quando datus est Tutor 1.) Filiis etiam de Filiabus. §. 5. I. h. *§. V. J. b. L. 62. ff. d. leg. 3. (c) l. 195. ff. d. V. S.* Posthumisque, non Nepotibus §. V. *J. b. (d)* 2.) Liberis, de Nepotibus quoque. §. V. *J. b. l. 220. ff. d. V. S.* 3.) Posthumis, non tantum de filiis Posthumis, sed etiam cæteris liberis. §. V. *J. b. l. 6. ff. de Testam. tut.*

(b) Personæ non rei vel causæ tutor datur. §. 4. *J. b.*

(c) Masculinus Sexus etiam fæmininum sub se continet. *L. 62. ff. d. leg. 3.*

(d) Aliter filii, aliter nepotes appellantur. §. 5. *J. b.*

TIT.

TIT. XV.

De Legitima Agnatorum tutela.

Quibus autem testamento tutor datus non est, his ex Lege duodecim tabularum agnati sunt tutores, qui vocantur legitimi.

Qui sint agnati.

1. Sunt autem agnati, cognati per virilis sexus cognationem conjuncti, quasi a patre cognati: veluti frater ex eodem patre natus, fratris filius, neposve ex eo; item patruus, & patruus filius, neposve ex eo. At qui per foeminini sexus personas cognatione junguntur, agnati non sunt, sed alias naturali jure cognati. Itaque amitæ tuæ filius non est tibi agnatus, sed cognatus: & invicem tu illi eodem jure conjungeris: quia qui ex ea nascuntur, patris, non matris familiam sequuntur.

Ex Caj. l. 7. ff. de legitim. tutor. & Paul. l. 10. ff. §. 2. d. grad. & affin.

Quis dicatur intestatus.

2. Quod autem Lex duodecim tabularum ab intestato vocat ad tutelam agnatos, non hanc habet significationem, si omnino non fecerit testamentum is, qui poterat tutores dare: sed si, quantum ad tutelam pertinet, intestatus decesserit. Quod tunc quoque accidere intelligitur, cum is, qui datus est tutor, vivo testatore decesserit.

Ex Paul. l. 6. ff. de legit. tut.

Quibus modis agnatio vel cognatio finiatur.

3. Sed agnationis quidem jus omnibus modis capitis deminutione plerumque perimitur; nam agnatio Juris civilis nomen est: cognationis vero jus non omnibus modis commutatur; „quia civilis „ratio civilia quidem jura corrumpere potest, naturalia vero non utique.

I. Tu-



I.

Tutela Legitima est, quæ immediate a lege defertur. *l. i. l. 5. ff. d. leg. tut.* Eaque dividitur in *Extraordinariam* s. *Maternam*, & *Ordinariam*. *Extraordinaria* s. *Materna* deficiente testamentaria a lege datur volenti *Matri aut Avia*, & futuris *Nuptiis*, & *Scto Vellejano* ac reliquis mulierum beneficiis renuncianti, *N. 118. c. 5. N. 94. c. 2. sine jurejurando. N. 94. c. 2. Ordinaria* deficiente Testamentaria. *j. Controv. Sel. Jur. Publ. Disp. 2. th. 17. Masculis* iisque proximis *Pupilli successoribus* defertur. *l. i. ff. h. j. L. 73. ff. d. R. J. (a)*

II. *Tutela Legitima ordinaria* est vel *Agnatorum*, vel *Patronorum*, vel *Parentum*: *Agnatorum* 1.) est, quæ ex *LL. XII. Tabb.* proximis *Agnatis* defertur. *PR. J. h. Jure Novellarum* Legitima *Tutela Cognatis Agnatisque* proximioribus defertur æqualiter. *N. 118. c. 4. 5.* quod plerisque in locis attenditur. Verum *JUS SAXONICUM* *Agnatos Cognatis* præfert. *IN. l. i. a. 23. Weichb. a. 49. Hæc 2.)* *injungitur Agnatis* (*Jure Novellarum* etiam *Cognatis*. *N. 118. c. 5.*) *Agnati autem sunt Jure Civili Cognati* per lineæ paternæ personam masculini Sexus, minimam capitis deminutionem haud passam, juncti. *§. I. & III. J. h. j. L. 100. ff. d. R. J. (b)* *JURE SAXONICO* sunt *AGNATI*, *Schwerd. Magen*

(a) *Quo hæreditas, eo etiam tutela pervenit, nisi cum feminae hæredes intercedunt. L. 73. ff. d. R. J.*

(b) *Omnia quæ jure contrahuntur, contrario jure perveniunt. L. 100. ff. d. R. J.*

per

quod accidit his, qui cum sui Juris fuerint, cœperunt alieno juri subjecti esse, vel contra: veluti si filiusfamilias a patre emancipatus fuerit, est capite deminutus.

De servo manumisso.

Ex cod. l. 3. §. 1. ff. cod. 4. Servus autem manumissus capite non minuitur: quia nullum caput habuit.

De mutatione dignitatis.

Ex Modest. l. 3. ff. de Senat. 5. Quibus autem dignitas magis, quam status permutatur, capite non minuuntur: & ideo Senatum motos capite non minui constat.

Interpretatio §. ult. supra tit. prox.

6. Quod autem dictum est, manere cognationis jus etiam post capitis deminutionem: hoc ita est, si minima capitis deminutio interveniat: manet enim cognatio. Nam si maxima capitis deminutio interveniat, jus quoque cognationis perit, ut puta servitute alicujus cognati: & ne quidem si manumissus fuerit, recipit cognationem. Sed & si in infulam quis deportatus sit, cognatio solvitur.

Ad quos agnatos tutela pertineat.

Ex Cajol. 9. ff. de legit. tut. 7. Cum autem ad agnatos tutela pertineat, non simul ad omnes pertinet, sed ad eos tantum, qui proximio gradu sunt: vel si plures ejusdem gradus sunt, ad omnes pertinet, veluti si plures fratres sunt, qui unum gradum obtinent, ideoque pariter ad tutelam vocantur.

I.

Tutela Agnatorum dissolvitur, per quamlibet Capitis Deminutionem. *Capitis Deminutio* autem est prioris *Status Mutatio*, PR. *J. h.* & dispescitur in 1.) *maximam*, qua *Libertas*, §. 1. *I. h.* *Civitas*, & *Familia* amittitur, §. 1. *J. h. l. u. ff. d. cap. min.* e. g. Servitute Pœnæ olim, *b. §. N.*

22. c. 8. de Christianis per Turcas captis actum.
 t. 3. 2.) *Mediam*, qua Libertas retinetur, sed
Civitas & Familia amittitur. §. II. *J. b.* Quo §. 2. I. h.
 modo ea in Imperio nostro per Bannum Imperii,
O. C. P. 2. t. 9. §. 2. & in Provinciis ejusdem Fu-
 stigatione & perpetua Relegatione accidat, ad §.
I. & III. J. quib. mod. Patr. potest. solv. dictum.
 3.) *Minimam*, qua & Libertas & Civitas retine-
 tur, sed *Familia* tantum mutatur, §. III. *J. b. l. §. 3.* I. h.
f. ff. eod. e. g. Arrogatione & Emancipatione,
d. §. etiam hodie.

II. *Capitis Deminutio versatur* circa Statum
 Libertatis, Civitatis, aut Familiae, quem cum
 non habeat Servus, per Manumissionem Capite
 non minuitur, §. IV. *J. b. j. l. 3. §. f. ff. eod. (a)* §. 4. I. h.
 & cum Statum non amittat, qui Dignitate e. g.
 Senatu movetur, Capite haud minuitur. §. V. *J. §. 5.* I. h.
b. l. 3. ff. d. Senat.

III. *Capitis Deminutio facit*, quoties ea est
 minima, ut Jus Agnationis, non Cognationis,
 pereat: §. VI. *J. b. j. §. III. J. d. leg. agn. tut. (b)* §. 6. I. h.
 at per maximam mediamve etiam Cognatio in-
 terit, quoad Effectus Civiles, §. VI. *J. b.* non na-
 turales. *a. l. 8. ff. d. R. J. (c)* §. 10. *J. d. nupt.*

IV. *Tutela Legitima Agnatorum r. Ordinis*,
 (a) *Nemo id Jus, quod non habet, amittere potest. a. L. 3.*
§. f. ff. d. Cap. Min.
 (b) *Civilis Ratio Civilia quidem Jura corrumpere pot-*
est, Naturalia vero non utique. §. III. J. d. leg. agn.
tut.
 (c) *Jura Sanguinis nullo Jure Civili dirimi possunt. L. 8.*
ff. d. R. J.

defertur Agnatis (Jure Novellarum Cognatis æque) scilicet existentibus in Gradu 1.) diverso, ita ut proximior excludat remotiorem, §. 7. I. h. VII. §. b. 2.) eodem omnibus, *d. §.* ex iis tamen *v. N. 118. c. 5.* unus vel plures, qui administrarent, Auctoritate Magistratus eliguntur, Periculo Tutelæ omnibus imminente. *d. c. Hodie* ad non confirmatos Periculum Tutelæ haud pertinet. *d. R. §. d. A. 1577. t. 32. §. 2.* JURE SAX. Agnati Cognatos excludunt, ceu *resp. F. J. L. Mens. Jan. 705.* & inter plures Agnatos Senior reliquis præfertur. *R. l. 1. art. 23. Weichb. a. 49.*

TIT. XVII.

De Legitima Patronorum tutela.

Ex ratione Legis 12. Tabb. quæ tutelas agnatis idcirco defert, quia heredes ab intestato sunt, inductum est, ut patroni libertorum suorum tutelam susciperent: quæ ideo legitima dicitur. l. 3. D. de legit. tutor.

Ex Ulp. l. 3. pr. §. l. 1. pr. ff. d. legitim. tut. **E**X eadem Lege duodecim tabularum, libertorum & libertarum tutela ad patronos liberosque eorum pertinet. Quæ & ipsa legitima tutela vocatur: non quia nominatim in ea Lege de hac tutela cavetur; sed quia perinde accepta est per interpretationem, ac si verbis Legis introducta esset. Eo enim ipso, quod hereditates libertorum libertarumque, si intestati decessissent, jufferat Lex ad patronos, liberosve eorum pertinere, crediderunt veteres, voluisse Legem etiam tutelas ad eos pertinere: cum & agnatos, quos ad hereditatem Lex vocat, eosdem & tutores esse jufferit: quia plerumque, ubi successionis est emolumentum, ibi & tute-

tutelæ onus esse debet. Ideo autem diximus *plerumque*: quia si a fœmina impubes manumittatur, ipsa ad hereditatem vocatur, cum alius sit tutor.

I.

Tutela legitima Patronorum, ob Commodum Successionis, a. L. 6. §. 1. ff. d. V. S. (a) Patronis eorumque Liberis in Libertos impuberes defertur. § un. f. b. (b) Ea non nisi ad Mancipia Turcica a Dominis manumissa applicari potest. Cæterum ex Argumento hujus §. Successori plerumque (excipiuntur Fœminæ L. f. ff. d. (c) tut.) Tutelam imponentis 1.) deficientibus Agnatis, Domino Feudi Tutelam injungunt. a. 1. f. 24. 2) In Saxonia ad eos, qui simultaneam Feudi Investituram habent, Tutela devolvitur. §. Un. I. h.

TIT. XVIII.

De Legitima Parentum tutela.

Exemplo patronorum recepta est alia tutela, quæ & ipsa legitima vocatur. Nam si quis filium aut filiam, nepotem aut neptem ex filio, & deinceps, impuberes emancipaverit, legitimus eorum tutor erit. Ex Ulp. l. 3. § 10. ff. de legib. tut.

- (a) Verbum ex Legibus sic accipiendum est: tam ex legum sententia, quam ex verbis. L. 6. §. 1. ff. d. V. S.
- (b) Fœminæ Tutores dari non possunt, quia id munus masculorum est. L. f. ff. d. tutel.
- (c) Plerumque ubi Successionis est emolumentum, ibi Tutela onus esse debet. §. Un. f. b.

§. I.

§. Un.
I. h.

Tutela legitima Parentum Patri ad Exemplum Patroni in Liberos impuberes ab ipso emancipatos defertur. §. Un. *f. h.* Ea Hodie videtur recessisse ab Ufu. *a. N. u8. c. 2. 4. 5. N. l. 1. a. 23.* Pro Affini agnoscit Administrationem Patri Jure Patrie Potestatis (in Väterlicher Gewalt) competentem. *l. 1. C. d. bon. mat. l. 6. C. d. bon. quæ lib. & Tutelam Fiduciariam; illa est: vi cujus Pater, citra Confirmationem Magistratus & Obligationem ad Inventarium conficiendum Rationesque reddendas, l. 8. §. 4. C. d. bon. quæ lib. j. Dec. El. 21.* bona Liberos Adventitia administrat, agit excipitque.

TIT. XIX.

De Fiduciaria Tutela.

Filiisam, a patre manumissi pater tutor est legitimus: eo vero defuncto, frater tutor fiduciarius existit.

Ex Ulp. d. l. 3. §. ult. & Modest. l. 4. de leg. 1. u8.

Est & alia tutela, quæ fiduciaria appellatur. Nam si pater filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, vel deinceps impuberes manumiserit, legitimam nanciscitur eorum tutelam. Quo defuncto, si liberi virilis sexus ei existant, fiduciarium tutores filiorum suorum, vel fratris, vel sororis, vel cæterorum efficiuntur. Atqui patrono legitimo tutore mortuo, liberi quoque ejus legitimi sunt tutores; quoniam filius quidem defuncti, si non esset a vivo patre emancipatus, post obitum ejus sui juris efficeretur: nec in fratrum potestatem recideret, ideoque nec in tutelam. Libertus autem, si servus mansisset, uti-

utique eodem jure apud liberos domini post mortem ejus futurus esset. Ita tamen hi ad tutelam vocantur, si perfectæ sint ætatis. Quod nostra Constitutio in omnibus tutelis & curationibus observari generaliter præcepit.

v. l. fin. C. de legis. tutela.

§. I.

Tutela *fiduciaria* ob singularem Fiduciam Cognatis certis (non eorum Liberis) deferretur, §. Un. J. b. & Jure Novellarum N. 118. c. 4. §. Un. Saxonicoque Usu destituitur. a. & R. l. 1. a. 23. I. h.

TIT. XX.

De Attiliano Tutore, & eo, qui ex Lege Julia & Titia datur.

Jus antiquum. Si nullus sit tutor.

SI cui nullus omnino tutor fuerat, ei datur, in Urbe quidem a prætore urbano, & majore parte Tribunorum plebis, tutor ex Lege Attilia: in provinciis vero a Præsidibus provinciarum ex Lege Julia & Titia.

Si spes sit futuri tutoris testamentarii.

1. Sed & si in testamento tutor sub conditione, aut ex die certo datus fuerat; quamdiu conditio, aut dies pendebat, ex iisdem Legibus tutor alius interim dari poterat. Item si pure datus fuerat; quamdiu ex testamento nemo heres existeret, tamdiu ex eisdem Legibus tutor petendus erat, qui definebat esse tutor, si conditio existeret, aut dies veniret, aut heres existeret.

Ex Ulp. l. 11. pr. ff. de test. sus.

Si tutor ab hostibus captus sit.

2. Ab hostibus quoque tutore capto, ex his Legibus tutor petebatur: qui definebat esse tutor, si

Ex Ulp. l. 1. §. 2. ff. de leg. sus.

is, qui captus erat, in civitatem reversus fuerat. Nam reversus recipiebat tutelam jure postliminii.

Quando et cur desierint ex dictis Legibus tutores dari.

3. Sed ex his Legibus tutores pupillis desierunt dari, posteaquam primo Consules pupillis utriusque sexus tutores ex inquisitione dare cœperunt, deinde Prætores ex Constitutionibus. Nam supra dictis Legibus, neque de cautione a tutoribus exigenda, rem salvam pupillis fore: neque de compellendis tutoribus ad tutelæ administrationem quicquam cavebatur.

Jus novum.

4. Sed hoc jure utimur, ut Romæ quidem Præfectus urbi, vel Prætor secundum suam jurisdictionem: in provinciis autem Præsides ex inquisitione tutores crearent, vel Magistratus jussu Præsidium, si non sint magnæ pupilli facultates.

Jus novissimum.

* v. l. 30. C. de episc. aud. 5. Nos autem per * Constitutionem nostram hujusmodi difficultates hominum reserantes, nec expectata jussione Præsidium, disposuimus, si facultates pupilli vel adulti usque ad quingentos solidos valeant, Defensores civitatum una cum ejusdem civitatis religiosissimo Antistite, vel alias publicas personas, id est Magistratus, vel Juridicum Alexandrinæ civitatis, tutores vel curatores creare: legitima cautela secundum ejusdem Constitutionis normam præstanda; videlicet eorum periculo, qui eam accipiunt.

Ratio tutelæ.

6. Impuberes autem in tutela esse, naturali juri conveniens est: ut is, qui perfectæ ætatis non sit, alterius tutela regatur.

De tutelæ ratione reddenda.

7. Cum ergo pupillorum pupillarumque tutores negotia gerant, post pubertatem tutelæ judicio rationes reddunt.

I. Tu-

I.

Tutela dativa deficiente testamentaria & legitima a Magistratu implorato, vel ex Officio defertur, P.R. J. b. l. 6. C. qui dar. tut. vel cur. Pr. I. h.

II. Hæc Tutela constituebatur Jure Civili veteri in Urbe a Præatore & majore parte Tribunorum Plebis, ex Lege Attilia; in Provinciis a Præsidibus Provinciarum ex Lege Julia & Titia, P.R. J. b. etiam quando Tutor 1) testamentarius nondum Tutor factus §. I. J. b. 2) ab Hostibus §. 1. I. h. captus erat. §. II. J. b. Hodie temporarius quoque Tutor constitui potest, e. g. ob Periculum in Mora. Curatorem ad Litem tunc constitui permitti Dec. El. 41. Hoc Jus vetus defuit. §. III. J. b. §. 3. I. h.

III. Jure Civili novo dabatur Tutor in Civitate a Præfecto Urbi, l. 4^r §. 3. ff. d. Excus. vel Præatore secundum suam Jurisdictionem. §. IV. §. 4. I. h. J. b. j. l. un. C. vbi pet. tut. Etiam hodie non alius Pupillo, quam qui Jurisdictioni dantis subest, l. f. ff. d. Jurisd. (a) datur Tutor. In Provincia a Præsidibus cum Inquisitione, §. IV. J. b. a Municipalibus Magistratibus, cum Pupilli non habebant ultra 500. solidos. §. V. J. b. §. 5. I. h. l. 30. C. d. Episc. aud. Hodie Quantitas Patrimonii non solet attendi, R. J. d. A. 1577. t. 32. §. 3.

IV. Tutela dativa Jure hodierno constituitur Pupillo, qui Imperio subest immediate, a Camera Imperii; a. O. C. P. 2. v. 3. vel Judicio Aulico.

(a) Extra Territorium Imperanti impune non paretur.
L. f. ff. d. Jurisd.

N. D. N. D. t. 2 §. so wollen. Mediate a Judice ordinario (in *Schriftfassis* apud nos a Principe) licet inferiorem tantum Jurisdictionem habeat, *R. J. d. A. 1577. t. 32.* Cæterum solet Magistratus a Tutoribus it. Curatoribus exigere 1) *Juramentum*, quo Tutores (Curatores) fidelem diligentemque Gestionem Tutelæ (*Cura*) promittunt: *a. l. 27. C. d. Episc. aud. N. 72. c. 8. d. R. J. §. 3.* *Consuetudo Saxonie* autem illius vice Admonitionem de Juramento, quod Magistratui præstiterunt, aut saltem Promissionem an *Ex des statt*, plerisque in Locis recepit. 2) *Satisfactionem* rem Pupilli (vel Adolescentis) salvam fore, qua Tutores, (vel Curatores) adhibitis Fidejussoribus indemnitati Pupillorum (Minorumve) cavent. *v. pr. J. d. satisf. tut. d. R. J. t. 32. §. 3.* *Hæc satisfactio apud nos infrequenter desideratur.* 3) *Impetrationem Decreti Confirmationis.* *d. R. J.* 4) *Inventarii Confectionem*, *l. 7. ff. d. admin. & peric. Tut. d. R. J. d. §. 3.* quonon confecto Specificationi juratæ locus est. *a. l. f. §. 10. C. d. Jur. delib.*

V. Tutela testamentaria, legitima & dativa, obligat ex *Quasi Contractu Administrationis Tutelæ*, quo Tutor Pupillo ad fidelem Defensionem & Administrationem, ac Pupillus Tutori ad Indemnitem obstringitur. *§. II. J. d. obl. que quas. ex contr.* Hinc descendit *Actio Tutelæ* 1) Directa; 2) Contraria; utraque utiliter ad Curam applicari potest. *a. l. 14. C. d. admin. tut. l. 1. §. 2. ff. d. contr. tutel. & utili act. v. §. 2. I. de oblig. que quas. ex Contr. nasc.* VI. Tu-

VI. Tutela intendit 1) Pupillorum Defensionem principaliter. §. VI. J. b. (b) 2.) Administrationem bonorum Pupillorum minus principaliter: unde reddendæ sunt ab omnibus Tutoribus Rationes, a. §. VII. J. b. l. 5. §. 7 ff. d. admin. tut. P. 2. C. El. u. r. Temporis, finita Tutela §. VII. J. b. id quod APUD SAXONES etiam §. 7. I. h. in Tutore, qui simul proximus Pupilli Hæres est, obtinet, *U. l. 1. a. 23.* alias quotannis Rationes reddendæ sunt a Tutoribus etiam haud requisitis, *R. J. d. A. 1577. t. 32. §. 3. P. 2. C. El. u. r. Loci, in Loco administratæ Tutelæ. l. 1. l. 2. C. ubi d. ratiocin. Dec. El. 36.*

TIT. XXI.

De Auctoritate Tutorum.

In quibus causis sit necessaria.

Auctoritas autem tutoris in quibusdam causis necessaria pupillis est, in quibusdam non est necessaria: ut ecce, si quid dari sibi stipulentur, non est necessaria tutoris auctoritas; quod si aliis promittant pupilli, necessaria est tutoris auctoritas. Namque placuit, meliorem quidem conditionem licere eis facere etiam sine tutoris auctoritate: deteriore vero non aliter, quam cum tutoris auctoritate. Unde in his causis, ex quibus obligationes mutue nascuntur, ut in emtionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, mandatis, depositis, si tutoris auctoritas non interveniat, ipsi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur: at invicem pupilli non obligantur.

Ex Cajo l. 9. pr. ff. d. Auctor. & Conf. Tut.

(b) Tutela Naturali Juri conveniens est: ut is, qui perfecta ætatis non est, alterius Tutela regatur. §. VI. J. b.

Exce.

Exceptio.

1. Neque tamen hereditatem adire, neque bonorum possessionem petere, neque hereditatem ex fideicommissio suscipere aliter possunt, nisi tutoris auctoritate (quamvis illis lucrosa sit) ne ullum damnum habeant.

Quomodo interponi debeat.

2. Tutor autem statim in ipso negotio praesens debet auctor fieri, si hoc pupillo prodesse existimaverit. Post tempus vero, vel per epistolam, interposita auctoritas nihil agit.

Quo casu interponi non possit.

Ex Ulp. l. 1. de auctor. tut.

3. Si inter tutorem pupillumque iudicium agendum sit, quia ipse tutor in rem suam auctor esse non potest: non praetorius tutor (ut olim) constituitur, sed curator in locum ejus datur: quo curatore interveniente, iudicium peragitur, & eo peracto, curator esse definit.

I.

Tutorum Auctoritas (Bollwort) est expressa & pura, l. 8. ff. b. j. L. 77. ff. d. R. J. (a) A Tutore praesente in ipso negotio facta *Approbatio* ejus, quod *Pupillus* cum alio gerit. l. 9. §. 5. l. 14 ff. b. Ea hodie infrequens est, cum plerumque Tutores administrant & soli Negotia pupillaria tractent.

Pr. I. h. II. *Auctoritas Tutorum* requirit 1) *Negotium*, ex quo *Pupillus* obligatur, (acquirere enim Obligationem potest. PR. J. h. (b) j. L. 19. ff. d.

(a) *Actus Legitimi* in totum vitiantur per *Temporis* vel *Conditionis* adjectionem. L. 77. ff. d. R. J.

(b) *Placuit* meliorem quidem *Conditionem* licere *Pupillis* facere etiam sine *Tutoris* auctoritate: deteriore vero non aliter, quam cum *Tutoris* auctoritate. Pr. J. h. R. J.)

R. J.) (c) five extrajudiciale, quamvis tantum periculosum: ut Hæreditatis Agnitionem, §. I. §. 1. I. h. J. b. j. l. 4. ff. ad S. Ct. Treb. Petitionem Bonorum Possessionis; d. §. I. J. b. j. l. f. C. qui admitt. ad bon. possess. five judiciale: l. 1. C. qui person. legit. stand. Quodsi vero Pupillo Controversia sit cum Tutore, Curator ad Litem ei constituendus est, §. III. J. b. (d) etiam hodie. Dec. El. 35. N. 72. §. 3. I. h. c. 2. 2.) Interpositionem Auctoritatis factam statim a presente in ipso Negotio, non post Tempus, aut per Epistolam, Nunciumve. §. II. J. b. §. 2. I. h. Interim quia P. 2. C. El. 15. requirit Morwissen, & Curator Consilium, absque Onere Administrationis, suppeditat, non præcise Curatoris Præsentiam in Contractu Mulieris requiri. resp. F. J. L. M. Jul. 702.

TIT. XXII.

*Quibus Modis Tutela Finitur.**De pubertate.*

PUPILLI pupillæque, cum puberes esse cœperint, a tutela liberantur. Pubertatem autem veteres quidem non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari volebant. Nostra autem Majestas dignum esse castitate nostrorum temporum existimans, bene putavit: quod in foeminis etiam antiquis impudicum esse visum est, id est, inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam in masculos extendere. Et ideo nostra sancta

(c) Qui cum alio contrahit, vel est, vel esse debet non ignarus conditionis ejus. L. 19. ff. d. R. J.

(d) Tutor in rem suam Auctor esse non potest. §. III. J. b.

* Con-

* v. l. ult. * Constitutione promulgata, pubertatem in masculis
 C. quand. post decimum quartum annum completum illico
 tut. vel initium accipere disposuimus: antiquitatis nor-
 Cur. esse mam in fœminis bene positam, in suo ordine relin-
 desin. quentes, ut post duodecim annos completos viri
 potentes esse credantur.

De capitis deminutione pupilli.

Ex Ulp. l. 1. 1. Item finitur tutela, si adrogati sint adhuc im-
 14. §. 1. 2. puberes, vel deportati. Item si in servitutum pu-
 de tut. pillus redigatur ut ingratus a patrono; vel ab ho-
 stibus fuerit captus.

De conditionis eventu.

Ex eod. d. 2. Sed & si usque ad certam conditionem datus
 l. §. 5. ibid. sit tutor testamento, æque evenit, ut desinat esse
 tutor, existente conditione.

De morte.

3. Simili modo finitur tutela morte vel pupillo-
 rum, vel tutorum.

De capitis deminutione tutoris.

4. Sed & capitis deminutione tutoris, per quam
 libertas vel civitas amittitur, omnis tutela perit.
 Minima autem capitis deminutione tutoris, veluti
 si se in adoptionem dederit, legitima tantum tutela
 perit: ceteræ non pereunt. Sed pupilli & pupil-
 læ capitis deminutio, licet minima sit, omnes tu-
 telas tollit.

De tempore.

Ex Ulp. l. 5. Præterea qui ad certum tempus testamento
 14. §. 3. ff. d. dantur tutores, finito eo deponunt tutelam.
 tutel. s.

De remotione & excusatione.

Ex eod. d. 6. Desinunt etiam tutores esse, qui vel removen-
 l. §. 4. ff. tur a tutela ob id, quod suspecti visi sunt: vel qui
 ibid. ex justa causa se excusant, & onus administrandæ
 tutelæ deponunt, secundum ea, quæ inferius præ-
 ponemus.

I.

Tutela finitur Modis vel. 1. communibus, vel
 2. propriis: Communes Modi contingunt vel
 ex Persona Pupilli, vel Tutoris. Ex Persona Pu-
 pilli, 1. Pubertate minus plena, quæ est in Mascu-
 lo anno 14. in Fœminis 12. completo, PR. J. b. Pr. I. h.
 (a) & attenditur quoque Moribus Germanorum
 nonnullis locis; Unde cum de Administratione
 Tutoris noxia testaretur Magistratus, minori de-
 sideranti finita Pubertate alium constitui posse
 Curatorem, pron. F. J. L. M. Jul. 715. j. IX. c. 26.
 non Pubertate demum plena. §. 4. J. d. Adopt.
 Hæc contingit 18. anno completo, d. §. l. 40. §.
 1. ff. d. Adoption. in Masculis & Fœminis, a. O. C.
 a. 164. j. l. 8. ff. de Publ in rem. act. In crimi-
 nalibus Causis vero est Terminus Pubertatis 14.
 scilicet annus completus, in utroque Sexu. O. C.
 a. 164. 2. Morte Pupilli naturali, §. III. J. b. §. 3. I. h.
 & quavis Capitis Deminutione. §. I. §. IV. J. b. §. 1. & 4.
 hodieque. I. h.

II. Tutela finitur ex Persona Tutoris aut ipso
 Jure, Morte illius naturali, §. III. J. b. & Capitis
 Deminutione maxima mediaque. §. IV. J. b. aut §. 4. I. h.
 Officio Judicis: ut Excusatione, l. 30. ff. d. Excus.
 vel suspecti Remotione. §. IV. J. b.

III. Tutela finitur Modis propriis Tutela
 1. testamentaria: ut 1) Conditionis Eventu, ad
 quam datus est Tutor. §. II. J. b. 2) Temporis §. 2. I. h.
 certi Lapsu, ad quod constitutus est Tutor, §. V. §. 5. I. h.

(a) Pupilli pupillæque, cum puberes esse cœperint, a Tu-
 tela liberantur. Pr. J. b.

J. b.

J. b. j. l. 6. §. f. ff. d. tutel. non Conventione. Interim Temporis & Conditionis Eventus finiet quoque Officium temporarii Tutoris dativi, 2. *legitimæ*, ubi solvitur Tutela ordinaria Agnatorum minima Capitis Deminutione Tutoris; Id quod apud *Saxones* per Tutoris Arrogationem accidit: v. §. 3. *J. d. cap. demin.* At extraordinaria, nempe materna Tutela, finitur per novas Nuptias, N. *XCIV. c. 2. (b)* Observantia Teste.

TIT. XXIII.

De Curatoribus.

De adultis, quousque & cur isti curatores accipiant.

MASCULI quidem puberes, & fœminæ viripotentes, usque ad vicesimum quintum annum completum curatores accipiunt: quia, licet puberes sint, adhuc tamen ejus ætatis sunt, ut sua negotia tueri non possint.

A quibus dentur curatores.

1. Dantur autem curatores ab eisdem magistratibus, a quibus & tutores. Sed curator testamento non datur: datus tamen confirmatur decreto Prætoris vel Præsidis.

Quibus?

2. Item invitæ adolescentes curatores non accipiunt, præterquam in litem. Curator enim & ad certam causam dari potest.

De furiosis & prodigis.

3. Furiosi quoque & prodigi, licet majores viginti quinque annis sint, tamen in curatione sunt

(b) *Mater, quæ novas contrahit Nuptias, repente expelli debet a Tutela liberorum.* N. *XCIV. c. 2.*

agnatæ

agnatorum ex Lege duodecim tabularum. Sed solent Romæ Præfectus urbi, vel Prætores, & in provinciis Præsides, ex inquisitione eis curatores dare.

De mente captis, surdis, mutis, perpetuo morbo laborantibus.

4. Sed & mente captis, & surdis, & mutis, & qui perpetuo morbo laborant, (quia rebus suis superesse non possunt) curatores dandi sunt.

De pupillis, quibus curator dari potest.

5. Interdum autem & pupilli curatores accipiunt, ut puta si legitimus tutor non sit idoneus: quoniam habenti tutorem tutor dari non potest. Item si testamento datus tutor, vel a Præatore aut Præsede, idoneus non sit ad administrationem, nec tamen fraudulenter negotia administret; solet ei curator adjungi. Item in locum tutorum, qui non in perpetuum, sed ad tempus a tutela excusantur, solent curatores dari.

De constituendo actore.

6. Quod si tutor vel adversa valetudine, vel alia necessitate impediatur, quo minus negotia pupilli administrare possit, & pupillus vel absit, vel infans sit, quem velit actorem, periculo ipsius tutoris, Præator, vel qui provinciæ præerit, decreto constituet.

I.

Cura, generaliter accepta, est Potestas in Negotia consentiendi, item administrandi, publica Auctoritate concessa. Hæc dividitur in extraordinariam & ordinariam. Extraordinaria Fæminis, ob Sexus Imbecillitatem, consulit, P. 2. C. El. 15. O. P. S. t. 8. & dispescitur in legitimam, die Eheliche Vormundschaft, estque Facultas administrandi Bona Uxoris, & in illius

G

gesta

gesta *consentiendi*, Marito per Thori conjugalis Ingressum quaesita; *D. l. 1. a. 31. 45. P. 2. C. El. 15. Dec. El. 24.* atque *confirmatam*, die bestätigte Vormundschaft, & est Potestas a Magistratu competente concessa in omnia vel certa Mulieris Negotia *consentiendi*, ad Validitatem iis conciliandam. *d. C. El. d. Dec.*

II. *Cura ordinaria* est Potestas administrandi Bona ejus, qui Rebus suis praesse nequit. *Hodie* omnes Curatores confirmandi sunt juxta *R. F. d. A. 1577. t. 32. §. 2.* Cura haec constituitur a Magistratibus iisdem, qui constituunt Tutores, §. i. l. h. §. I. f. b. etiam *hodie*, & ad certam Litem quoque in Judicio, in quo Causa pendet: *Dec. El. 59.* Testamento autem Curator dari non debet regulariter *Jur. Civ.*; *d. §. Hodie* recte eum etiam Testamento constitui patet ex *R. F. d. A. 1577. t. 32 §. 1. 2. verb. Vormunde und Vorsteher.*

III. *Curator datur ob Defectum naturalem* ordinariumque 1) *Jure Civili Minoribus* usque ad 25. Pr. I. h. Annum s. sint Masculi, sive Foeminae; *PR. f. b. Jure Saxonico* usque ad 21. completum. *Lehn. Recht c. 26.* Electores Annis 18. finitis Majoribus accensentur: *A. B. c. 7. §. 4. 2.)* eisque *volentibus* non invitis, praeterquam in Litem. §. II. f. b. j. l. 2. *C. qui legit. pers. stand. Hodie* indistincte Minoribus, etiam invitis, Curatores constituuntur. *R. F. d. A. 1577. t. 32. §. 1.*

IV. Constituitur Curator *ob Defectum accidentalem* 1) *Prodigiis* declaratis, *a. l. 10. l. 16. §. 1. ff. d. cur. fur.* item furiosis, nec non *ανοήτοις*, dementi-

mentibus f. Cœcitate Mentis continua, sed quietâ, laborantibus. *a. l. 9. C. d. impub. & al. substit. l. 2. C. d. Curat. furios.* His ex lege XII. Tabb. *Agnati* sunt legitimi Curatores, quibus deficientibus in Subsidium a Magistratu Curator datur, §. III. *J. b. etiam hodie, a. R. J. d. A. 1577. t. §. 3. I. h. 32. Dec. El. 41. maxime apud Saxones. a. N. l. 1. a. 32.* Jure Novellarum vero *Agnati Cognatis* sunt exæquati. *a. N. 118. c. 4. 5. 2) Mente captis,* i. e. h. l. in Confinio Furoris & sanæ Mentis hærentibus; *Blöden. a. l. 6. C. d. Cur. fur. j. l. 3. C. d. Testam. Surdis & Mutis, item perpetuo Morbo laborantibus,* e. g. Melancholicis, quatenus Rebus suis superesse non possunt, a Magistratu. §. IV. *J. §. 4. I. h. b. j. l. 65. §. 3. ff. ad Sct. Treb. l. 48. ff. d. O. & A.* 3) *Pupillis, quibus non satis prospectum per Tutores* legitimos testamentarios dativosve minus idoneos, at sine Fraude administrantes, vel ad Tempus se excusantes. §. V. *J. b. (a) Hodie idem §. 5. I. h. obtinere puto, Dec. El. 41. 35.*

V. Cura id commune habet cum Tutela, quod & Tutor & Curator, Valetudine vel Necessitate impeditus in Administratione, una cum Pupillo vel Minore Procuratorem, *solus* vero *Actorem* tantum *constituit*, Periculo ejus *Causas* pupillares Minorumve tractantem, accedente Prætoris vel Præsidis Provinciæ Decreto. §. VI. *J. §. 6. I. h. b. l. 11. C. de Procur.* JURE SAX. EL. talis Actor per Actorium ab omnibus (si plures sint Tutores vel Curatores) subscriptum subsignatumque fit, O. *(a) Habenti tutorem tutor dari non potest. §. V. J. b.*

P. S. t. 9. §. 1. cui, si Mater Tutrix sit, ejusdem Subscriptio adjici debet (*Decretum autem Confirmationis*, apud nos Moribus haud exigitur, ceu Observantia docet.)

TIT. XXIV.

*De Satisfatione tutorum vel curatorum.**Qui satisfacere cogantur.*

NE tamen pupillorum pupillarumve, & eorum, qui quæve in curatione sunt, negotia a curatoribus tutoribusve consumantur, vel diminuuntur: curet Prætor, ut & tutores & curatores eo nomine satisfident. Sed hoc non est perpetuum. Nam tutores testamento dati satisfacere non coguntur: quia fides eorum & diligentia ab ipso testatore adprobata est. Item ex inquisitione tutores vel curatores dati satisfatione non onerantur: quia idonei electi sunt.

Quatenus satisfatio in iis, qui satisfacere non compelluntur, locum habere possit.

1. Sed si ex testamento vel inquisitione duo pluresve dati fuerint, potest unus offerre satisfationem de indemnitate pupilli vel adolescentis: & contutori suo, vel concuratori præferri, ut solus administret: vel ut contutor aut concurator satis offerens præponatur ei, ut & ipse solus administret. Itaque per se non potest petere satisfationem a contutore suo, vel concuratore: sed offerre debet, ut electionem det concuratori vel contutori suo, utrum velit satis accipere, an satisfacere. Quod si nemo eorum satis offerat, siquidem adscriptum fuerit a testatore, quis gerat, ille gerere debet. Quod si non fuerit adscriptum, quem major pars ele-

*Ex Mo-
dest. l. 7.
rem pupil-
li salvam
for.*

elegerit, ipse gerere debet, ut Edicto Prætoris caveatur. Sin autem ipsi tutores dissenserint circa eligendum eum vel eos, qui gerere debent, Prætor partes suas interponere debet. Idem & in pluribus ex inquisitione datis probandum est: id est, ut major pars eligere possit, per quem administratio fiat.

Qui ex administratione tutelæ vel curationis teneantur, & contra quos actio subsidiaria detur.

2. Sciendum autem est, non solum tutores vel curatores pupillis, vel adultis ceterisque personis ex administratione rerum teneri: sed etiam in eos, qui satisfationem accipiunt, subsidiariam actionem esse, quæ ultimum eis præsidium possit adferre. Subsidiaria autem actio in eos datur, qui aut omnino a tutoribus vel curatoribus satisfari non curaverunt, aut non idonee passi sunt caveri. Quæ quidem tam ex Prudentum responsis, quam ex Constitutionibus Imperialibus etiam in heredes eorum extenditur.

Si tutor vel curator cavere nolit.

3. Quibus Constitutionibus & illud exprimitur, ut, nisi caveant tutores & curatores, pignoribus captis coerceantur.

Qui dicta actione non teneantur.

4. Neque autem Præfectus urbi, neque Prætor, neque Præses Provinciæ, neque quisquam alius, cui tutores dandi jus est, hac actione tenebitur: sed hi tantummodo, qui satisfationem exigere solent.

I.

Tutelæ & Curæ communis est 1. Satisfatio. 2. Excusatio. 3. Suspecti postulatio. *Satisfatio Rem, Pupilli vel Adolescentis salvam fore,* est, qua Tutores legitimi & dati sine Inquisitione

ne Pupillis, vel Curatores Minoribus, Fidejussoribus cavent, l. 4. §. 1. ff. rem pup. salv. de ita administranda Tutela Curave, ut per eos Res Pupillorum, Minorumve non capiat Detrimentum.

Pr. I. h. PR. J. h. Jure Imperii Cautio idonea (genugsame Caution und Versicherung) ab omnibus Tutoribus & Curatoribus s. testamentariis, s. legitimis, s. dativis, exigitur; R. J. d. A. 1577. t. 32. §. 2. 3. sed Usus Locorum varius est & in expressa tacite bonorum Hypotheca non raro acquiescit. IN SAXONIA Tutor, qui proximus est Pupilli Hæres, a Satisfactione liberatur, per R. l. 1. a. 23. idemque in reliquis Tutoribus observari solet.

II. Hæc Satisfactio non imponitur Tutoribus Testamento vel ex Inquisitione datis, quia eorum Fides & Diligentia approbata est a Testatore, vel Magistratu; PR. J. h. nisi Numero plures sint & unus ex his satis offerat: Tum enim Electio datur Contutori Concuratorive, utrum velit satis accipere & satisfacti Administrationem permittere, an satisfacere & administrare. §. I. J. h. j. l. 17. ff. d. Testam. tut. etiam hodie. Quod si nemo satis offerat, si Testator adscripsit quis gerat, ille gerere debet: d. §. 1. Si Testator non adscripsit quis gerere debeat, aut plures sunt Tutores ex Inquisitione dati, administrare tenetur a majore Parte Tutorum electus; d. §. 1. a. L. 160. §. 1. ff. d. R. J. (a) Cum Tutores Curatoresve dissen-

(a) Refertur ad universos, quod publicè fit per majorem partem. L. 160. §. 1. ff. d. R. J.

tiunt,

tiunt, qui Decreto Prætoris determinatus fuerit. *d. §.*

III. *Satisfationem exigere debet* Magistratus minor, non major. §. IV. *J. b. Hodie* Exactio §. 4. I. h. Cautiois cuius Magistratui Tutorem Curatoremve danti imposita; *R. J. d. A. 1577. t. 32. §. 3.* Alias conveniri potest *Actione subsidiaria de Magistratibus conveniendis*, quæ est civilis, personalis, & competit *læsis*, qui *in Tutela vel Cura fuerunt*, eorumque Hæredibus, *l. 1. §. 4. ff. d. Magistr. conv. adversus Magistratus* (minores *J. Civ. l. 5. C. eod.*) qui Dolo vel Culpa aut nullos, *l. 1. §. 6. ff. eod.* aut minus idoneos Tutores constituerunt, aut Fidejussores nullos aut minus idoneos exegerunt, eorumque Hæredes, *l. 3. C. l. 6. ff. eod. §. II. J. b. ad omne Damnum resarciendum. l. 1. §. 6. l. f. ff. d. Mag. conv. Hodie* ista Actio adversus omnes Magistratus locum habet. *d. R. J. §. 3. fac. Dec. El. 41.*

IV. *Satisfationem licet extorquere* ab invitis per Pignorum Captionem. §. III. *J. b. Hodie*, §. 3. I. h. ubi Satisfationis obtinet Necessitas, etiam aliis receptis cogendi Modis: ut Mulcta, Carcere, &c. *uti licebit. a. l. 9. ff. d. mun.*

TIT. XXV.

De Excusationibus Tutorum vel Curatorum.

De numero liberorum.

EXcusantur autem tutores vel curatores variis ex *Ex Mod. l.*
causis: plerumque tamen 1. propter liberos, 2. *ff. b. t.*
G 4 five

five in potestate sint, five emancipati. Si enim tres liberos superstites Romæ quis habeat, vel in Italia quatuor, vel in provinciis quinque, a tutela vel cura potest excusari, exemplo ceterorum munerum. Nam & tutelam & curam placuit publicum munus esse. Sed adoptivi liberi non profunt: in adoptionem autem dati, naturali patri profunt. Item nepotes ex filio profunt, ut in locum patris sui succedant: ex filia, non profunt. Filii autem superstites tantum ad tutelæ vel curæ muneris excusationem profunt: defuncti autem non profunt.

Ex Ulp. l. 13. hoc tit. Sed si in bello amissi sunt, quæsitum est, an profint? Et constat, eos solos prodesse, qui in acie amittuntur. Hi enim, qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur.

De administratione rei fiscalis.

1. Item Divus Marcus in semestribus rescripsit, eum, (2) qui *res fisci administrat*, a tutela, vel cura, quamdiu administrat, excusari posse.

De absentia Reipublicæ causa.

Ex Hermogen. l. 41. §. 2. & Tryphon. l. 45. pr. ff. b. s. 2. Item, (3) qui *Reipublicæ causa absunt*, a tutela, vel cura excusantur. Sed & si fuerint tutores vel curatores dati, deinde Reipublicæ causa abesse cœperint, a tutela, vel cura excusantur, quatenus Reipublicæ causa absunt: & interea curator loco eorum datur: qui, si reversi fuerint, recipiunt onus tutelæ. Nam nec anni habent vacationem, ut Papinianus libro 5. Responsorum scripsit. Nam hoc spatium habent ad novas tutelas vocati.

De potestate.

3. Et (4) qui potestatem *aliquam habent*, se excusare possunt, ut Divus Marcus rescripsit: sed susceptam tutelam deserere non possunt.

De lite cum pupillo, vel adulto.

4. Item (5) *propter litem*, quam cum pupillo, vel adulto tutor vel curator habet, excusari non potest: nisi forte de omnibus bonis, vel hereditate controversa sit.

De

De tribus oneribus tutelæ vel curæ.

5. Item (6) *tria onera* tutelæ non affectatæ vel curæ, præstant vacationem, quamdiu administrantur: ut tamen plurium pupillorum tutela, vel cura eorundem bonorum, veluti fratrum, pro una computetur.

De paupertate.

6. Sed & (7) propter *paupertatem* excusationem tribui, tam Divi Fratres, quam per se Divus Marcus rescripsit, si quis imparem se oneri inuncto possit docere. *Ex Ulp. l. 7. ff. hoc tit.*

De adversa valetudine.

7. Item (8) propter *adversam valetudinem*, propter quam ne suis quidem negotiis interesse potest, excusatio locum habet. *Ex Modest. l. 10. §. 8. ff. h. t.*

De imperitia literarum.

8. Similiter (9) eos, qui *litteras nesciunt*, esse excusandos, Divus Pius rescripsit: quamvis & imperiti literarum possint ad administrationem negotiorum sufficere. *Ex eod. l. 6. §. 19. ff. h. t.*

De datione propter inimicitias, & de tutore, qui testatori consensit.

9. Item, (10) si propter *inimicitias* aliquem testamento tutorem pater dederit, hoc ipsum præstat ei excusationem: sicut per contrarium non excusantur, qui se tutelam administraturos patri pupillorum promiserant.

De ignorantia testatoris.

10. Non esse autem admittendam excusationem ejus, qui hoc solo utitur, quod ignotus patri pupillorum sit, Divi Fratres rescripserunt. *Ex eod. l. 15. §. 14. ff. h. t.*

De inimicitiis cum patre pupilli vel adulti.

11. *Inimicitia*, (11) quas quis cum patre pupillorum, vel adultorum exercuit, si capitales fuerunt, nec reconciliatio intervenit, a tutela vel cura solent excusare. *Ex eod. l. 6. §. 17. ff. h. t.*

De status controversia a patre pupilli illata.

Ex eod. l. 6. §. 18. ff. h. t. 12. Item (12) is, qui *status controversiam* a pupillorum patre passus est, excusatur a tutela.

De aetate.

*Ex eod. l. 2. / pr. §. 7. ff. h. t. * v. l. ult. C. de leg. 3. tit.* 13. Item (13) *major septuaginta annis* a tutela & cura se potest excusare. Minores autem viginti quinque annis olim quidem excusabantur: nostra autem * Constitutione prohibentur ad tutelam, vel curam adspirare; adeo ut nec excusatione opus sit. Qua Constitutione cavetur, ut nec pupillus ad legitimam tutelam vocetur, nec adultus: cum sit incivile, eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab aliis reguntur, aliorum tutelam, vel curam subire.

De militia.

14. Idem & in milite observandum est, ut nec volens ad tutelæ onus admittatur.

De Grammaticis, Rhetoribus, & Medicis.

Ex eod. l. 6. §. 1. 2. ff. h. t. 15. Item (14) Romæ Grammatici, Rhetores & Medici, & qui in patria sua has artes exercent, & intra numerum sunt, a tutela & cura habent vacationem.

De tempore & modo proponendi excusationes.

Ex eod. l. 13. §. 1. & Paul. l. 38. ff. h. t. 16. Qui autem vult se excusare, si plures habeat excusationes, & de quibusdam non probaverit, aliis uti intra tempora constituta non prohibetur. Qui autem excusare se volunt, non appellant, sed intra quinquaginta dies continuos, ex quo cognoverunt se esse tutores vel curatores datos, se excusare debent, cujuscunque generis sint, id est, qualitercunque dati fuerint tutores, si intra centesimum lapidem sunt ab eo loco, ubi tutores dati sunt. Si vero ultra centesimum lapidem habitant, dinumeratione facta viginti millium diurnorum, & amplius triginta dierum: quod tamen, ut Scævola dicebat, sic debet computari, ne minus sint, quam quinquaginta dies.

De

De excusatione pro parte patrimonii.

17. Datus autem tutor ad universum patrimonium datus esse creditur.

De excusationibus propriis curatorum. De tutela gestione.

18. Qui tutelam alicujus gessit, invitus curator ejusdem fieri non compellitur: in tantum, ut licet paterfamilias, qui testamento tutorem dedit, adjecerit, se eundem curatorem dare; tamen invitum eum curam suscipere non cogendum, Divi Severus & Antoninus rescripserunt.

De marito.

19. Iidem rescripserunt, maritum uxori suae curatorem datum, excusare se posse, licet se immisceat.

De falsis allegationibus.

20. Si quis autem falsis allegationibus excusationem tutelae meruerit, non est liberatus onere tutelae. *Ex Scævola. l. 37. pr. ff. b. 2.*

I.

EXcusatio Tutoris aut Curatoris consistit in Allegatione justae Cause, ob quam quis petit se ab Onere Tutelae vel Curae liberari.

II. A Causis excusatoriis differunt 1) Cause prohibitoriae, exque attendendae sunt, licet non allegentur. §. 13. *J. b. (a)* Ita prohibetur *Jur. Civ. §. 13. I. h.*
1) Minor ad Tutelam quamvis Curamve accedere. §. XIII. *J. b. j. §. 2. J. qui Testam. tut.* 2) Miles actu militans. §. XIV. *J. b. l. 4. C. qui dar. §. 14. I. h. tut. j. l. 31. C. loc. Milites hodie Excusationem mereri non ambigo, idemque de Clericis apud*

(a) Incivile est eos, qui alieno Consilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab aliis reguntur, aliorum Tutelam vel Curam subire. §. XIII. *J. b.*

Evan-

Evangelicos assero. 3) *Maritus Uxori Cura-*
 tor dari, l. 2. C. *Qui dar. Tut. vel Cur.* & datus
 §. 19. I. h. Excusatione uti potest, licet se immisceat, §. XIX.
J. b. j. l. 17. §. 5. ff. b. JURE SAXONICO Ma-
 ritus Uxoris Curator non tantum ratione Sexus,
 §. 1. a. 31. 45. Dec. El. 24. sed etiam *Ætatis* esse
 potest. a. §. 1. a. 42. 2) *Causæ Onus admini-*
 §. 17. I. h. Patrimonio datus censetur; §. XVII. *J. b.* (ita-
 que constitutus in Loco Domicilii Bona alibi si-
 ta administrare tenetur, ceu visum *F. J. L. Mens.*
Jan. 700.) Situs tamen Patrimonii, quatenus
 est in diversa Provincia, Excusationem Tutori
 præbet, l. 21. §. 2. ff. b. efficitque, ut in illa Provin-
 cia constituatur Tutor. l. 15. ff. de *Testam. tut.*
Hodie idem regulariter observandum.

III. *Causa Excusationis debet esse vera & justa:*
 nam Allegatio 1) *falsa*, licet admessa, non libe-
 §. 20. I. h. rat, §. XX. *J. b. j. l. 1 §. 1. ff. d. dol. mal. & met.*
exc. (b) & Periculum Administrationis ad ex-
 cusatum, ex quo datus est, devolvit. l. 1. C. *si Tu-*
tor vel Cur. fals. alleg. conf. Res. Grav. El. d. A.
1609. gr. 8. C. S. p. 582. 2) *Illegitima*, ut si quis
 §. 10. I. h. nihil prodest. §. X. *J. b. j. Pr. J. b. l. 214. ff. d.*
V. S. (c)

(b) *Nemini dolus per occasionem Juris Civilis contra*
naturalem equitatem prodesse debet. L. 1. §. 1. ff. d. dol.
mal. & met. exc.

(c) *Munus Publicum necessario obimus lege, more, impe-*
riove ejus, qui jubendi habet potestatem. L. 214. ff. d. V. S.

IV. A

IV. *A Tutela & Cura excusat* I. *Numerus Lib-
berorum* 3. Romæ, 4. in Italia, 5. in Provinciis.
PR. *J. b. (d) j. l. 7. §. 3. ff. d. bon. damn. (e)* Ho- Pr. I. h.
die Numerus *quinquenarius* plerisque in Locis
sufficit. Ubi computantur Liberi veri, etiam 1)
emancipati *d. PR. 2) Nepotes ex Filio mortuo,*
apud Avum Patris Locum supplentes, *d. PR. l. 2.*
§. 7. ff. b. 3) in Acie mortui. PR. J. b. (f) l. 18.
ff. b. II. Administratio Fisci. §. I. J. b. Hodie li- §. 1. I. h.
berantur *Nent. Cammer. Meister. III. Absentia*
Reip. Causa, quæ a suscipienda Tutela vel Cura
intra Annum, a suscepta Tempore Absentiæ, Va-
cationem præbet, & interea Curator datur, §. II. §. 2. I. h.
J. b. quod recte ad Legatos Principum applica-
tur. j. Auth. Res quæ C. Commun. d. leg. (g) IV.
Magistratus major, s. cum is Potestatem habet,
§. III. *J. b. item municipalis. l. 1. §. 16. ff. b. Ho- §. 3. I. h.*
die omnes Magistratus Excusatione fruuntur:
Non tamen a suscepta Tutela curave Magistra-
tus liberat. *d. §. III. l. 17. §. 5. ff. b. j. L. 85. j. 1. ff.*
d. R. J. (h) V. Controversia cum Pupillo vel Ad-
ulio de omnibus bonis vel majore eorum Parte.
(d) Tutela & Cura munus publicum est. Pr. J. b.
(e) Satius est ampliari Imperium hominum adjectione,
quam pecuniarum copia. L. 7. §. 3. ff. d. bon. dam.
(f) Hi, qui pro Republ. ceciderunt, in perpetuum per
Gloriam vivere intelliguntur. Pr. J. b.
(g) Ea quæ communiter omnibus prosunt, his, quæ spe-
cialiter quibusdam utilia sunt, præponenda sunt. Auth.
Res quæ C. Commun. de leg.
(h) Non est novum, ut, quæ semel utiliter constituta sunt,
durent, licet ille casus extiterit, a quo initium capere
non potuerunt. L. 85. §. 1. d. R. J.

§. IV.

- §. 4. I. h. §. IV. *J. b. l. 21. ff. b. Jure Novellarum per N. 72. c. 1. 2. 3.* ex hac Causa Tutelam Curamque prohiberi visum, & JURE SAXONICO ELECTORALI Arbitrio Judicis relinquitur, utrum is se excusantem liberare, an vero, dato ad Litem Curatore, eundem constituere malit. *Dec. El. 35. VI. Triplex Onus Tutela Curave non affectata,*
- §. 5. I. h. §. V. *J. b. j. L. 203. ff. d. R. J. (i)* ita tamen, ut Muneris Gravitas spectetur, *l. 31. §. f. ff. b.* & numeretur Diversitas Patrimoniorum, non Pupillorum. *d. §. V. VII. Paupertas* imparem Oneri Tutelæ Curave reddens; §. VI. *J. b.* De qua arbitratur Judex. *a. L. 1. §. f. ff. d. Fur. del. (k)* VIII. *Adversa Valetudo*, propter quam ne suis quidem
- §. 7. I. h. Negotiis quis superesse potest, §. VII. *J. b. j. L. 14. ff. d. Off. Pres. C. 5. X. de Cler. agrot. (l)* & quidem, prout Valetudo est, vel in perpetuum, vel ad Tempus, *l. 12. ff. b.* ista Excusatio a coepta Tutela & suscipienda liberat. *L. 11. ff. eod. IX. Ignorantia Literarum* cum Imperitia rerum conjuncta. §. VIII. *J. b. l. 6. §. f. ff. eod. X. Datio a Patre Pupillorum Testamento propter Inimicitias factas: §. IX. J. b. l. 6. §. 17. ff. b.* Qui promisit e contrario se administraturum Tutelam &c. Patri Pupillorum, non excusatur. *d. §.*

(i) *Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire. L. 203. ff. d. R. J.*

(k) *Quicquid Lege determinatum non est, judicis arbitrio ad determinationem relictum esse censetur. L. 1. §. f. ff. d. Fur. del.*

(l) *Afflicto non est addenda afflictio. a. L. 14. ff. d. Offic. Pres. C. 5. X. d. Cleric. agrot.*

l. 15.

l. 15. §. 1. ff. b. XI. Inimicitia capitalis, si Reconciliatio non intervenit, cum Patre Pupillorum vel Adulorum exercita, §. XI. f. b. nec non §. II. I. h. Controversia Status, L. 209. ff. d. R. 7. (m) illi, qui Tutor esse debet, a Patre Pupillorum mota. §. XII. f. b. Idem hodie applicant ad Status affinia; ut Nobilitatem. XII. *Ætas major 70. annis*, §. XIII. f. b. j. l. 2. ff. b. apud Saxones quoque. XIII. *Professio cujuslibet facultatis*. §. XV. §. 15. I. h. f. b. j. l. 6. §. 2. ff. b. a. l. 6. C. d. Prof. & Med. Hodie Professores Academiarum, Gymnasiorum & Scholarum Magistri Immunitate frui solent, quippe qui Clericis etiam quodammodo accensentur, quod non extendendum ad eos, qui Scholas privatas exercent, die *Winkel-Schulmeister*, & negligentibus hæc Excusatio deneganda est. l. 6. §. 4. ff. b. j. Resp. F. J. L. M. Oct. A 703.

V. *A Cura tantum excusat administrata Tutela*: qui enim Tutelam alicujus gessit, invitus Curator ejusdem fieri non compellitur, §. XVIII. §. 18. I. h. f. b. etiam hodie: licet Testator Tutorem quoque Curatorem esse voluerit. d. §. j. a. L. 20. C. d. neg. gest. (n)

VI. *Excusationis Allegatio r. 1) Numeri Causarum* fieri potest, quoties plures Excusationes locum habent, aliis post alias intra constitu-

(m) *Servitus mortalitati fere comparatur*. L. 209. ff. d. R. 7.

(n) *Abunde sufficit, si cui vel in paucis amici labore consulatur*. L. 20. C. de neg. gest.

§.16. I. h. ta Tempora adductis. §. XVI. *J. h. j. l. 43. ff. d. R. J. (o) 2) Modi fit per Implorationem Officii Judicis, a. l. 13. §. 10. ff. b. vel per Exceptionem, vel per Appellationem: onerati enim appellare non tenentur, l. 13 ff. b. l. 18. C. eod. l. 1. §. 1. ff. quand. appell. possunt tamen, vel ab Initio, l. 39, §. 6. ff. d. admin. & per. tut. l. 4. C. d. appell. j. d. l. 18. vel rejecta Excusatione ab inferiore Magistratu, d. l. 1. §. 1. l. 15. C. h. etiam in Saxonia, a. Appell. Pat. d. A. 1670. §. 1. 3) Temporis facienda est intra Dies, qui sunt Ratione Initii utiles, ratione Cursus continui. §. XVI. *J. h.* Est vero *Tempus* vel *continuum*, quod etiam ignoranti sine Intermissione currit; *l. f. C. d. dol. mal. vel utile*, quod non nisi scienti & in Judicio experiundi Facultatem habenti currit; *l. 2. pr. §. 1. ff. quis ord. in bon. poss. vel mixtum*, quod Ratione Cursus inchoandi absolvendive partim continuum est, partim utile. *h. §. a. l. 1 §. 7. ff. quand. appell. j. l. 19. §. f. ff. d. edil. ed. Computantur 50. Dies ita, ut Tutor, qui ultra 100. Lapidem est, habeat statos 30. Dies, & in singulos Viæ Dies 20. Milliaria italica. Hodie raro ista Computatio- ne est opus.**

TIT. XXVI.

*De Suspectis Tut. vel Curatoribus.**Unde suspecti crimen descendat.*

Ex Ulp. l. 1. §. 2. ff. b. s. **S**Ciendum est, suspecti crimen ex Lege duodecim tabularum descendere.

(o) *Nemo ex his, qui negant se debere, prohibetur etiam alia defensione uti, nisi Lex impedit. L. 43. ff. d. R. J.*

Qui

Qui de hoc crimine cognoscant.

1. Datum est autem jus removendi tutores suspectos, Romæ Prætori, & in Provinciis Præsidibus earum, & Legato Proconsulis. *Ex eod. d. l. §. 3 ff. b. t.*

Qui suspecti fieri possint.

2. Ostendimus, qui possint de suspecto cognoscere: nunc videamus, qui suspecti fieri possunt. Et possunt quidem omnes tutores fieri suspecti, sive sint testamentarii, sive non sint, sed alterius generis tutores. Quare etsi legitimus sit tutor, accusari poterit. Quid si patronus? Adhuc idem erit dicendum: dummodo meminerimus, famæ patroni parcendum esse, licet ut suspectus remotus fuerit. *Ex eod. d. l. §. 5. ff. b. t.*

Qui possint suspectos postulare.

3. Consequens est, ut videamus, qui possint suspectos postulare. Et sciendum est, quasi publicam esse hanc accusationem, hoc est, omnibus patere. Quinimo mulieres admittuntur ex Rescripto Divorum Severi & Antonini: sed eæ solæ, quæ pietatis necessitudine ductæ, ad hoc procedunt: ut puta mater, nutrix quoque & avia; potest & soror. Sed & si qua alia mulier fuerit, quam Prætor propensa pietate intellexerit, sexus verecundiam non egredientem, sed pietate productam, non sustinere injuriam pupillorum, admittet eam ad accusationem. *Ex eod. d. l. §. 6. 7 ff. b. t.*

An impubes vel pubes.

4. Impuberes non possunt tutores suos suspectos postulare: puberes autem curatores suos ex consilio necessariorum suspectos possunt arguere: & ita Divi Severus & Antoninus rescripserunt.

Quis dicatur suspectus.

5. *Suspectus* autem est, qui non ex fide tutelam gerit, licet solvendo sit, ut Julianus quoque scripsit. Sed & antequam incipiat tutelam gerere tu-
H tor,

tor, posse eum quasi suspectum removeri, idem Julianus scripsit, & secundum eum constitutum est.

De effectu remotionis.

6. Suspectus autem remotus, siquidem ob dolum, famosus est: si ob culpam, non æque.

De effectu accusationis.

7. Si quis autem suspectus postulatur, quoad cognitio finiatur, interdicitur ei administratio, ut Papiniano visum est.

Quibus modis cognitio finiatur.

8. Sed si suspecti cognitio suscepta fuerit, posteaque tutor vel curator decesserit, extinguitur suspecti cognitio.

Si tutor copiam sui non faciat.

9. Si quis tutor copiam sui non faciat, ut alimenta pupillo decernantur; cavetur Epistola Divorum Severi & Antonini, ut in possessionem bonorum ejus pupillus mittatur: & quæ mora deteriora futura sunt, dato curatore distrahi jubentur. Ergo ut suspectus removeri poterit, qui non præstat alimenta.

Si neget alimenta decerni posse, vel tutelam redemerit.

10. Sed si quis præsens negat propter inopiam alimenta posse decerni, si hoc per mendacium dicat, remittendum eum esse ad Præfectum Urbi puniendum, placuit: sicut ille remittitur, qui data pecunia ministeriis tutelam redemit.

De liberto fraudulenter administrante.

11. Libertus quoque, si fraudulenter tutelam filiorum vel nepotum patroni gessisse probetur, ad Præfectum Urbi remittitur puniendus.

Si suspectus satis offerat: & quis dicatur suspectus.

12. Novissime autem sciendum est, eos, qui fraudulen-

dulenter tutelam vel curam administrant, etiam si satis offerant, removendos esse a tutela: quia satisfactio tutoris propositum malevolum non mutat, sed diutius grassandi in re familiari facultatem præstat. Suspectum etiam eum putamus, qui moribus talis est, ut suspectus sit. Enimvero tutor vel curator, quamvis pauper sit, fidelis tamen & diligens, removendus non est quasi suspectus.

I.

Suspecti Tutoris vel Curatoris Postulatio, in Significatu famosiore, *a. l. 3. §. 4. ff. h. est Accusatio* cuivis ex Populo competens, §. 3. *J. h. adversus quemcunque Tutorem vel Curatorem*, §. 2. *J. eod. ad hoc, ut*, ob malam Administrationem Dolo vel Culpa lata factam, a Tutela vel Cura *removeatur*. §. 6. *J. h. l. 4. §. f. ff. eod.* Descendit autem *suspecti Crimen*, quo Tutor vel Curator ob malam Administrationem obligatur, ex Lege XII. Tabb. *PR. J. h. hodieque info- Pr. I. h.* lens non est.

II. *Suspecti Tut. vel Cur. Postulatio* fit apud Magistratum majorem. §. I. *J. h. Hodie* quilibet §. i. *I. h.* ordinarius Magistratus, qui habet Facultatem constituendi Tutorem, de Crimine suspecti Tutoris quoque cognoscit, ac pro Re nata statuit. *R. J. d. A. 1577. t. 32. §. 3.*

III. *Postulatio suspecti fit l. per* 1.) *Actionem civilem hodie*: ut Implorationem Officii Judicis, qua Tutoris & Curatoris Remotio petitur. *d. R. J. §. 3. j. l. 3. §. 6. ff. h.* 2.) *Accusationem* ad suspectum Tutorem vel Curatorem removendum; *l. 1. §. 6. ff. h.* Quæ hodie non est abrogata. *fac. Res. Gr. A. 1609. gr. 5.* 3.) *Inquisitionem. a. l. 3.*

H 2

§. 4.

§. 4. 12. ff. h. Ea hodie non infrequens est. a Ref. Grav. d. A. 1609. gr. 5. Conf. Ord. Tut. Lips. d. A. 1595. § 32. d. R. F.

- IV. *Postulari queunt omnes Tutores vel Curatores tanquam suspecti*: §. II. F. h. Quod si vero sint Patroni, Cognati vel Affines, potius adjungendus est iis Curator, d. §. j. l. 9. ff. h. atque hi *postulantur ab omnibus*, § III. F. h. etiam a 1.) Mulieribus Pietate ductis, d. §. apud Saxones cum Curatorum Consensu, a. P. 2. C. El. 15. 2.) Puberibus, qui Curatores suspectos faciunt Confilio Necessariorum: §. IV. F. h. Impuberes non item. d. §. j. l. f. ff. de manum. vind.

- V. *Postulantur ut suspecti*, qui non ex Fide Tutelam Curamve gerunt, §. V. F. h. licet 1.) solvendo sint, d. §. aut satis offerant: §. XII. F. h. (a) Interim Pauper fidelis Tutor vel Curator removendus non est; d. §. 2.) Suscepta nondum sit Administratio. d. §. V. a. l. 3. §. f. l. 4. ff. h.

- VI. *Suspecti Tutoris vel Curatoris Postulatio efficit*: ut 1.) Suspecto interdicator Administratio, accedente Judicis Decreto, a. l. 7. C. h. donec Postulatio finiatur; §. VII. F. h. j. l. f. C. in quib. caus. in integr. rest. (b) 2) Tutore vel Curatore suspecto decedente, dum Cognitio pen-

(a) *Satisfactio Tutoris Propositum malevolum non mutat, sed diutius grassandi in re familiari facultatem praestat.* §. XII. F. h.

(b) *Melius est intacta minorum jura servare, quam post vulneratam causam Remedium querere.* L. f. C. in quib. caus. in integr. rest.

det

det, extinguatur Crimen: §. VIII. *J. b. j. L. 6 ff. d. §. 8. I. h. Publ. Jud. (c)* Salva tamen sit læsis Actio Tutelæ; *a. l. 4. ff. d. contrar. tut. & ut. act. j. N. 48.* 3) Tutore vel Curatore remoto ob Dolum (non Culpam atam. *a. l. 3. §. f. l. 4 ff. l. f. C. h.*) ipse famosus fiat: §. VI. *J. b.* Modo Dolus, tanquam Causa Remotionis, imprimis *hodie*, Sententiæ insertus sit. *l. 4. §. 1. 2. ff. b.* 4) *In Casu denegatorum Pupillo Alimentorum a Tutore* 1) *latitante*, ut Pupillus in Bonorum ejus Possessionem mittatur, §. IX. *J. §. 9. I. h. b.* ubi tandem Tutor diligenti Inquisitione prævia, tanquam suspectus, removetur: *d. §. a. l. 7. §. f. ff. b. j. N. l. 1. a. 41.* 2) *præsente*, at per Mendacium Alimenta decerni posse negante, ut is remittatur ad Præfectum Urbi puniendus. *l. 3. §. 15. ff. eod. §. X. J. b. Hodie*, quoties in Tutorem vel Curatorem Poena ad criminalem Jurisdictionem pertinens statuenda, ad eundem est Magistratus, qui Jurisdictionem criminal. habet. (*d*)

VII. Fraudulenta Administratione deprehensa Liberti, in Tutela Librorum Patroni, ipse ad Præfectum Urbi puniendus remittitur. §. XI. *J. b. §. 11. I. h. j. l. 9. ff. d. obseq. par. (c)* *Hodie* Vasallus quoque Domini directi Tutor gravius tunc coërcetur. *j. II. f. 6. 7. arg. h. §.*

(c) *Defuncto eo, qui reus fuit criminis, & poena extincta est. L. 6. ff. de publ. jud.*

(d) *Una est quodammodo Persona hæredis & ejus qui in eum transmittit hæreditatem. N. 48.*

(e) *Liberto (Filio) semper honesta & sancta Persona Patroni (Patris) videri debet. L. 9. ff. d. obs. equ. par. & Patron.*

tor publicam Proclamationem procurate, cujus Effectus est, quod Dominus sub diversa Jurisdic. existens 3. Partem Inventori relinquit: Nemine intra 6. Hebd. comparente & Dominium probante, 2. Partes Fisco, tertia Inventori addicitur. *W. l. 2. a. 29. 37.* Ita quoque, cum inventam Pecuniam non esse Theaurum apparet, *pron. F. J. L. M. Mart. 1707.*

TIT. II.

De Rebus corporalibus & incorporalibus.

Secunda rerum divisio.

*Hic totus
Titulus
descriptus
est ex Caj.
l. i. §. i. ff.
de Res. Di-
vis.*

QUÆDAM præterea res corporales sunt, quædam incorporales. Corporales hæ sunt, quæ sua natura tangi possunt: veluti fundus, homo, vestis, aurum, argentum, & denique aliæ res innumerabiles. Incorporales autem sunt, quæ tangi non possunt: qualia sunt ea, quæ in jure consistunt: sicut hereditas, usufructus, usus & obligationes quoquo modo contractæ. Nec ad rem pertinet, quod in hereditate res corporales continentur: nam & fructus, qui ex fundo percipiuntur, corporales sunt, & id, quod ex aliqua obligatione nobis debetur, plerumque corporale est: veluti fundus, homo, pecunia. Nam ipsum jus hereditatis, & ipsum jus utendi fruendi, & ipsum jus obligationis incorporale est. Eodem numero sunt jura prædiorum urbanorum & rusticorum, quæ etiam servitutes vocantur.

I.

RES dividuntur ab Objecto in corporales & incorporales. Corporales sunt, quæ sua Natura